






5. 2171

MEDICINA ANI  
MAE, NON TANTVM  
*ijs qui aduersa corporis ualitudine  
conflictantur, sed ijs etiam qui corpo-  
re bene habent, extremis his pe-  
riculosissimis temporibus  
maxime neces-  
saria.*


AUTORE VRBANO  
Rhegio.

Anno M. D. XLV.



764591

B 3



# ORNATIS

SIMOVIRO, DOMINO IACO  
bo Remispergio, Medicinæ Doctori, Io  
hannes Frederus Gratiam & Pa  
cem in Christo.



ON prorsus inepte, puto, corporis medico medicinam animæ dedicari, cū ob alias, tum ob hanc quæ causam, quæ in omnibus corporalibus morbis, non minus corporis quam animæ medicina opus est ægrotis; quæ in subitissimis casibus, & in deploratis periculosisque morbis medicus corporis cogitur aliquando etiam fieri animæ medicus, si forte animæ medici, Theologi, iam de uita periclitantibus non adsunt. Ac multo felicius citiusque uos corpo

a ij

E P I S T O L A

rum morbis mederi existimo, ubi animæ morbi & cruciatus fuerint sedati & sublati: Quippe cum sanum, uegetum, ac robustum corpus sic anxius curis & grauibus tentationibus labefactetur exhauriaturq̃, ut sæpe de uita sit periculum. Multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa: ut ait Sirach: Et sapiens ille rex: Tristitia nocet cordi, inquit, sicut tineæ uestimento, & uermis ligno. Ergo nō possunt nō tam debilia & male affecta corpora uehemētibus illis animi perturbationibus, hoc est, duris cum Satana, inferis & morte tentationibus, grauius affici magisq̃ debilitari. Cū uerò corpora cū suis morbis conflictant, tum uel maxime anima q̃q̃ suis morbis affligit, tum peccata per totum uitæ curriculum patrata renouantur & recrudescunt, magnoq̃ impetu in nos irruunt, nec unq̃ tanta atrocitate, tanta magnitudine

N V N C V P A T,

dine, tanta foeditate, tantoq̄ numero obtulerunt sese nobis, q̄ illo tēpo-  
re: & propter admiffa peccata me-  
tus aeternae mortis & irae diuinae ani-  
mos egrotantium horribiliter diuex-  
at & angit: atq̄ ita morbū etiam cor-  
poris aggrauescere necesse est, nisi  
animae morbis q̄q̄ succurrat. Vt er-  
gō facilius & expeditius corporibus  
mederi possit medicus, uel in primis  
necesse est, animae q̄q̄ medicinam a-  
liquam addi, quo metus ille à morte,  
inferis & Satana eximat, anxiaq̄ &  
consternata conscientia solidis cōso-  
lationibus erigatur. At nulla catapo-  
tia, nulla theriace, nulla aurea Alex-  
andri, nullum iuleb, nullum loch, nō  
letificans Galeni, non diatragacan-  
thes: breuiter, nullae confectiones,  
nullae herbae, nulli liquores medent  
animae morbis: sed id praestant solae  
Scripturae promissiones, quarum pre-  
cipuas & insigniores sanctissime me

## EPISTOLA

morie D. Urb. Rhegius in hunc libellum congeffit, ex ijs antidota uera ac presentissima contra omnis generis tentationes, contra mortem, inferos & Satanam confecit. Eas scripturae sententias, seu promissiones, quibus anime morbi sanantur, hoc est, quibus animi anxij terroribus mortis, & iudicij diuini metu perturbati, eriguntur, Medicus non minus tenere debebat, q̄ Aphorismos Hippocratis aut therapeuticen Galeni, ut facilius feliciusq; corporib, subueniret, aut ut absente uerbi ministro, in subitis, pacutis, & extremis morbis, ubi nullis plane medicamentis proficere, ubi morbus docta Medici plus arte ualet, ut tum presentem anime medicinam adhiberet, animos metu mortis percussos, & ad desperationem uergentes, ueris ac solidis consolationibus confirmaret, agrotum ad obeundam fortiter mortem animaret, & sic



N VNCVPATORIA

sic é faucibus eterne mortis eriperet.  
 Et hoc opere atq; officio lōgè sanctif  
 simo, non minus præstitisset egrotis  
 Medicus, q̄ si uitam eorū in multos  
 annos produxisset. Quid est enim  
 hæc uita etiam omnis generis uolup  
 tatibus cumulatiſſima & oīs generis  
 cōmoditatibus affluētīſſima, ad eter  
 nam illam cœleſtē uitā collata? Certe  
 etiam exquisitiſſimæ in hoc mūdo uo  
 luptates, ſumma gaudia, maximæq;  
 cōmoditates, nec umbella quædam  
 ſunt iſtorū gaudiorum & uoluptatū  
 quibus in altera illa uita fruituri ſu  
 mus. Nam ὁ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδεν, ἡ οὐς  
 οὐκ ἤκουσεν, ἡ ψυχὴ καὶ ὁ καρδιᾶν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέ  
 βη. &c. Tibi tñ eximie D. Doctor,  
 non ideo hæc uerſionem meā dedico,  
 ut hinc diſcas rationem conſolādi pe  
 riculoſe decumbētes: nā memini me  
 audire te integras noui Teſta. ſentē  
 tias Græce de memoria recitantē, ex  
 q̄ cōſtat, te pietatiſſimū eſſe

EPIST. NVNCVPAT.

& sacra diligenter legere, cum ea etiã in Græca lingua ad uerbũ ediscere te nõ pigeat. Sed ideo tibi hos meos labores inscribere uolui, ut extaret testimonium & monumentum aliquod obseruantiaẽ atq; gratitudinis meę erga te, quem cum ob alias, tum ob hanc causam in perpetuũ & amabo & obseruabo, q̃ mihi cũ grauissimo & periculosissimo morbo conflictanti, ὡςτε διαπερηθῆναι με τῷ ζῆνι, ἀλλὰ αὐτῶς ἐν ἑαυτῷ εἰς ἀπόκριμα τοῦ θανάτου ἔρχεσθαι, q̃ in hoc uitæ periculo mihi summa fide, magna diligẽtia, assidua cura, singulari prudẽtia, & mirifica solitudine medicas manus adhibuisti, pristinamq; sanitatem, diuino auxilio, restituiisti. Ac rogo ut hoc animi atq; obseruantiaẽ erga te meę pignus boni pro tua humanitate consulas. Vale in Christo.

MEDICI

# MEDICI

NA ANIMAE, NON TANTVM  
ijs qui aduersa corporis ualitudine con-  
flictantur, sed ijs etiam qui corpore bene  
habent, extremis his periculosissi-  
mis temporibus maxime ne-  
cessaria.



ORBI corpora infe-  
stantes, & mors hæc  
corporalis, ingenti pa-  
uore concutiunt ani-  
mos nostros, adeo, ut  
etiam ad eorum men-  
tionem sepe inhorres-  
camus. Equidem natura humana, quæ ma-  
uult nō esse q̄ male esse, non potest nō, cum  
mala hæc ingruunt, exalbescere ac dolere:  
sed animæ morbo eiusdemq; morte nulla  
atrocior, nulla horribilior, nulla immanior  
calamitas homini accidere potest. At cum  
nemo non horreat, nemo nō uelis equisq;  
fugiat, supplicia, grūnas, morbos & mortē  
hanc corporalem, certe multo magis horū  
malorum causas, uidelicet peccata, & nox-  
am, declinaremus & uitaremus, Deiq; irā,  
quam tot offensionibus in nos concitam⁹,

## MEDICINA ANIMÆ

metueremus. In parum cōmoda corporis affecti ualitudine, confestim ad medicum eurritur, nullis hic sumptibus parcitur, omnia uitæ saluti postponuntur, multo argenteo remedia & antidota comparantur, quo terrenum hoc uasculum & breui post tamē collapsura testa resarciatur. Cur non pari studio & sollicitudine aduersus Animæ morbos longe & in infinitū grauiores atq; periculosiores, remedia conquirimus expetimusq;? Quid utilitatis caperet homo, si totius mundi opibus afflueret, continuosq; mille annos uiueret, perpetuis etiā & exquisitissimis uitæ huius uoluptatibus perfrueretur, nec ullis morborum alieriusue calamitatis molestiis infestaretur, sed tamē anima interim exitiali peccatorū culpa atq; ueneno infecta, Satanęque tyrannide oppressa, Deum haberet iratum, & æterna dānatio post uitæ huius exitum ipsi esset subeunda? Ideoq; Christus monens nos Mat. xxv. Vigilate, inquit, quia nescitis diē neq; horam, in quo filius hominis ueniet: At ne, posthabitis potioribus longeq; utilissimis, leuia, friuola, uiliaq; persequeremur, monstrat compendiosissimā, certissimāq; & tutissimā ad ueram foelicitatem perueniendi uiam, Math. 6. ubi inquit: Quærite primum regnum Dei & iusticiam eius, &

D. VRBANI RHEG.

& omnia adijcientur uobis.

Dies noctesq; torquent, ac fatigant nos curæ uictus, stabiliendaq; opum nostrarum, aliarumq; sæpe etiam futilium, fluxarumq; rerum, quæ parum nos iuuant, imo nonnunq; etiam grauissimarum calamitatum & terribiorum uitiorum causa sunt. At in quærendis comparandisq; bonis celestibus, quid nobis socordius, quid negligentius, quid incogitantius, quid stupidius? Quæ quæso potest esse cœcitas & demētia horribilior? Dum agimus uitam incolumē, uix unq; de futura illa uita, deq; morte hac nostra temporali uel leuis cogitatio animis nostris obrepit. At ubi decubentes morbo conflictamur, morte iam fores pulsante, cū standū in acie ac pugnandum est, ibi demū de armis contra Satanam sumendis, deq; uita nostra emendanda cogitamus. Hæc satis argumento sunt nos ualde imbecilli tenuiq; fide præditos esse, parumq; in militia Christiana exercitados. Deus misereatur nostri. Amen.

Sed enim omnis est ad resipiscendum ætas apta, nullaq; poenitētia sera est, modo ante huius uitæ exitum agatur. Ac consulo moneoq; etiam atq; etiam, ne quis poenitentiae actionem in hunc postremum longeq; acerrimum agonem procrastinet. Egre em

## MEDICINA ANIMÆ

subsistunt etiam hi, qui incolumes per omnem uitam ad hanc emigrationis horam munire atque instruxere sese, seque magno negotio uix ab hostis illius longe crudelissimi atque astutissimi insidijs, technis, machinis, insultuque tuentur. Quid hi fiet, qui omni timore Dei uacui, & poenitere nesci, feedam, dissolutam, & perditam uitam uixerunt? quomodo quaeso dimicabunt? quomodo resistent?

Cum uero ingens passim hominum multitudo sit, cumque Ministri Euangelij non praesto sint ubique, nec suam operam omnibus semper dare possint, nos animo ad omnes iuandos propensissimo, rationem & formam hanc consolandi, instituendi atque monendi aegros, ex uerbo Dei collectam conscripsimus, in eorum maxime gratiam, qui rudes adhuc nec ad huiusmodi casus sacrarum literarum sententijs instructi sunt, ut aut ipsi haec legentes, aut praelecta haec audientes, spem & consolationem solidam ueraque concipiant, ne in mortis agone longe acerrimo, animum despondentes succumbant pereantque.

Homo itaque morbi grauitate lecto affixus, & de uita periclitans, uarijs grauibuscque temptationibus, quibus cum illi depugnandum est, impetitur obruiturque. Ac primum omnium

nium

D. VRBANI RHEG.

num acerbissimum hæc & grauiissima tētatio  
est, cum uersatur ob oculos tristissima mor-  
tis imago: cumq; uidemus aut cogitamus  
uitæ huius lucem iucundissimam, omnesq;  
uel cognatione, uel necessitudine aliqua  
iunctos, breuiter omnia hic charissima &  
suauissima relinquenda esse. Mox & pecca-  
ta, aduersus Dei uoluntatem & mandatum  
a nobis admissa offerunt sese, magnoq; im-  
petu irruentia plane renouantur & recru-  
escunt, multoq; uidentur plura atq; atrocio-  
ra q̄ uisa sunt ante unq̄, mirificeque consci-  
entiam excruciant, diuexant & angūt. Hic  
mors, iudicium diuinum, infernus, damna-  
tio, metus & pavor, quasi agmine facto, ue-  
terem hominem nostrum impetuosis  
& turbulentissimis grauissimorum dolorū  
terrorumq; procellis perturbāt, acerrimisq;  
anxietatum tristitiæque arietibus pectora  
quatiunt oppugnantq;.

In his agonibus, nisi fide magna & con-  
stante firmatum fuerit pectus nostrum, peri-  
culum erit, ne multitudine & magnitudine  
tentationū defatigati atque labefactati, ani-  
mū despondeamus. Videtur enim ea quæ  
ægotantibus nobis occurrunt, horribilissi-  
ma atque atrocissima, idque nulla alia de cau-  
sa, q̄ q̄ mutat, & ualde exigua est fides no-  
stra, nec dum etiam tanta, ut uerbo Dei fisa,

*Testatio  
Mortis*

## MEDICINA ANIMÆ

apprehēdere possit immensas illas & inæstimabiles filiorum Dei opes & diuitias, uidelicet, remissionem omnium peccatorum per Christum, carnis resurrectionem, exoptabile & dulcissimum illud omnium electorum sodalicium, uitamq; æternam, atque omnia hæc in Christo & propter Christum donata.

In his fidei nostræ articulis quotidie nos exerceremus, hos apud animum diligenter uolutos expensosq; nobis infigeremus, Frequenter etiam Synaxin seu Mensam illam sacrosanctam accederemus, sed ante explorati, diligenterq; informati, ne illotis manibus & animis rem sacrosanctā tractaremus. Idq; in primis necesse est, bonaq; occasione hic fieri potest. Dolēdum profecto & indignum, q; multos iam annos, parum pro dignitate, irreuerenterq; Sacramentū hoc corporis & sanguinis Iesu Christi tractatū, adeoq; a plurimis extreme contēptū est. Quam grauius, q̄ horribiliter hic peccatum sit, præsentis poenæ satis testantur, idq; Paulus prædixit. 2 Corin. 11.

Deus pater misertus nostri illuminet oculos mentis nostrę, ut aliquando relicto tam retro & horrendo errore resipiscamus. Sæpius itaq; summo pietatis studio ac religione Mensam hanc accedemus, ut coelesti illo  
animę



D. VRBANI RHEIG.

animæ cibo recreatis ac refecillatis animis  
nostris fides & charitas in nobis augetur  
& roboretur.

Porro omnes quidem fidei nostræ Ca-  
tholicæ articulos semper apud animos no-  
stros tractare & meminisse debemus, sed in  
mortis agonibus maxime diligenterq; ex-  
pendendi & inculcandi nobis sunt quatuor,  
videlicet, de Ecclesia Sanctorū, de remissio-  
ne peccatorum per Christi sanguinem, de  
resurrectione carnis, & de vita æterna.

Primo. Ut mors peccati pœna est, ita &  
morbi sæpicule nobis immittuntur a Deo  
ob peccata nostra. Id quod multis scriptu-  
ræ testimonijs clare patet, Ioan. 5. Psal. 55.  
Deute. 28. 2. Regum 24. Affligimur etiam  
non raro, ut fides nostra probetur. Nam  
tum demum uidere est, quam amemus De-  
um, quantum illi fidamus, cum cruce aliqua  
gravi premimur conflictamurq;. Hic itaq;  
ante omnia uide, ut toto corde, mente &  
sensibus omnibus ad Deum conuersis, nō  
simulanter agas pœnitentiam, utq; coram  
Deo deploras & confitearis peccata tua, ob  
quæ uel iustissimam dei iram & pœnā gra-  
uissimam promeruimus omnes. Vberimā  
aut̄ consolationem, & absolutionem quam  
uocant, siue remissionem peccatorum, quā  
in Ecclesia instituit Christus, petes ex Euan-

*morbis immittuntur  
a Deo ob peccata*

## MEDICINA ANIMÆ

gelio Ioannis cap. 20. Hic thesaurus immēsus quotidie tibi recluditur offerturq; Accipite, inquit Christus, Spiritum sanctum, Quorumcumq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcumq; retinueritis, retenta sunt. Iam, ubi ueniam delictorum orauimus atq; impetrauimus, haud dubie etiam poena & morbus siue afflictio incumbens, uel cessabit, & missos nos faciet, uel pro longe optima Dei uoluntate in salutem ægrotantis cedit.

Hoc enim tibi persuasissimum sit, q̄ ea poena siue crux (ut maxime uideatur graue iugū & onus carni) uirga sit uere paterna, qua Deus te filium ad se inuitatum a peccando retrahit auocatq;. Certe ardentissimo amoris affectu complectitur nos Deus, ex animo bene uult nobis, omniaq; facit in hoc ut nos emendet, ut nobis prolicet. Quem enim diligit corrigit, eumq; hic castigat & affligit, ne post hanc uitam æterno gehennæ supplicio torqueat. Ne hesitabis, sed certissime tibi persuadebis Deum esse patrem tuum amantissimum & cupidissimū, ut maxime iratum se simulauerit. Non tyranni & carnificis, sed patris hæc est unica nos amantis ira, qui nō uult ut perdamur, sed ut emendati resipiscamus & salutem consequamur. Hoc quoque oraculo Delphico certius est, si  
id

D. VRBANI RHEG.

id modo nos tam exigua fide præditi credere possemus. Primum omnium itaque petuendam & remissionem omnium peccatorum tuorum, sed per Christum, sed corde uere poenitentiam agente, ut bene tibi cum Deo conueniat, ut eum tibi conciliatum & propitium habeas. Hinc potes etiam petere, ut te ab urgente afflictione & morbo liberet. Sic docet nos Ecclesiasticus cap. 38. Fili, inquit, in infirmitate tua ne despicias te ipsum, sed ora Dominum & curabit te. Sic orat & Psal. 89. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum cito anticipent nos misericordie tue: Adiuua nos Deus salutaris noster, Domine Deus uirtutum conuerte nos: quousque irasceris? ostende faciem tuam & salui erimus. Primum orat remissionem peccatorum, ut per gratiam Dei iustificetur: deinde deprecatur iram Dei. Et tu orans liberationem & leuationem a cruce te premente, semper addes hanc appendicem: Fiat uoluntas tua longe sanctissima & optima operer coelestis. Neque enim melius nobis consulemus quam fidissimus ille & infinitae potentiae, sapientiae, & bonitatis inexhaustae pater, qui oculos suos nusquam auertit a nobis, nostrisque curam summa sedulitate agit, qui pilos capitis nostri numeratos habet, qui omnia uiuificat, uegetat, fouet, tegit, alit, seruat, tuetur:

b

## MEDICINA ANIMÆ

qui omnibus prouidet & prospicit, multo magis & melius, q̄ creaturæ etiam optare possent.

*TRIA SVNT QVÆ IN MOR-  
tis agone grauisime nos excruciant, ingentique terrore  
animos nostros conturbant, Peccatum scilicet, Mors &  
infernus seu damnatio,*

## PECCATA.

In quibus uitam nostram perditæ scelera  
teq̄ transegimus, quibus & Deum & prox-  
imū nostrum grauisime offendimus. Hæc  
cum ueniunt nobis decūbentibus in men-  
tem, maximo pauore & dolore afficimur,  
quæmadmodum Paulus inquit, Roma .2.  
indignatio & ira, afflictio & anxietas aduer-  
sus omnem animam hominis perpetrantis  
malum.

## MORS.

Adam & caro nostra inuitissima mori-  
tur. Ingruente igitur morte, ingentibus do-  
loribus, & anxietatibus, quas nulla lingua  
explicauerit, cor humanum conquassatur  
debilitaturq̄. Formidolosa enim natura  
& psychicus homo noster misere metuit ne  
semel mortuus & defossus in terram, nunq̄  
redeat & reuiuiscat, iamq̄ secum esse actum  
putat.

Gehen

D. VRBAN. RHEG:  
GEHENNA ET DAM  
NATIO.

Hæc cum incurrunt in oculos, ibi demum  
metuit homo ne prorsus a facie Dei reijci-  
atur, nihilque uidet aliud quam æternam mortem. Hic  
animis opus est, opus est hic pectore firmo, ne  
ullus pusillanimitati & desperationi locus  
detur. O clementissime Deus, o indulgentis-  
sime pater, da queso & iuuauit adhuc bene-  
uolentes & incolumes timorem tui discamus,  
uerbum tuum colamus & amemus, te sco-  
pum omnium actionum nostrarum nobis  
præfigamus, utque huius acerrimi agonis  
semper memores, nos aduersus eum muni-  
amus, & armemus, ut patris & tui timentes om-  
nia nostra ad tuam gloriam dirigamus, &  
tandem uita æterna potiamur, Amen.

CUM PECCATA CONSCI  
ENTIAM EXAGITANT  
ET ANGVNT.

Tum cogita quod Dei filius ex coelis demiserit  
se ad infima, homoque factus, tua totiusque  
mundi peccata sibi imposuerit, proque ihs in  
cruce ultro mortem oppetierit, pro ihs omni-  
bus satisfecerit, grauissimasque nostro nomi-  
ne poenas dependerit. Hic sanguis Chri-  
sti preciosissimus propter tuam etiam salutem  
profusus est, huius, mortis & tu particeps  
es, si modo credideris, Christum a que

## MEDICINA ANIMÆ

pro te atq; pro Petro & Paulo mortuum esse. Nec quicq̄ dubitare debes, quin tam tibi quam Paulo sit mortuus. Es enim in Christi mortem baptizatus. Hoc te solari, hoc animum erigere ac firmare tuū debet. Nam cum sis in Christi mortē baptizatus, Christi mors tibi salutem opemq; feret, per Christi mortē peccatis morieris, per Christi mortem peccatorum remissionem omnium, non dubiam accipies: deinde per Christi mortem in novam & æternam uitam resurges. Baptismus enim foedus & gratiæ fauorisq; diuini pactum et signum est, in quo Deo conciliatus es, ut per eum lætam & trāquillam conscientiam habeas propter remissionem peccatorum per resurrectionem Christi. Certe & tibi loquitur Christus in institutione cœnæ suæ, ubi profitetur sanguinem suum in remissionem peccatorū profusum esse. XB Iam itaq; ut maxime uitā non per omnia innocentem nec ab omni parte puram uixisti, non est quod desperes, sed nulla facta mora indefinenter nomen Domini inuoca & saluus eris. Rom 10. atq; in hæc uerba prorumpere: O clementissime Deus, o pater omnis misericordiæ, Pater Domini nostri Iesu Christi, sis propicius mihi peccatori, fer celerem misero commiseratus opem, propter acerbissimam illam, sed  
precio

D·VRBANI RHEG.

preciosissimam passionem & mortem Iesu Christi unigeniti filij tui, redemptoris & seruatoris nostri unici, Amen. Ne intres Domine in iudicium cum seruo tuo. Ne me tractes pro meritis meis, nec secundum iniquitatem meam facias mihi, sed propter infinitam & inexhaustam bonitatem atq; misericordiam tuam suscipe me. Misera ego & imbecillis creatura in manu tua, tui iuris & in ære tuo sum. O clementissime Deus: O indulgentissime pater, ne me destituas, ne miserum me abijcias. Tuus sum quantus quantus sum: Nemo me consolari, nemo liberare, nemo iuuare potest, præter TESOLVM. Tu uerus es Alexicaeos, tu certissimum & præsentissimum es in omni necessitate auxilium, præsidium, subsidium, propugnaculum, tu arces munitissima. Tu Deus refugium nostrum, tu uirtus nostra, tu adiutor in tribulationibus. In te Domine spero, non confundar, ne unquam pudefiam, spe mea frustratus, sed tua iusticia serua me. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me. Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, ut saluum me facias. Fortitudo mea & refugium meum es tu. Dominus meus es tu, in manibus tuis fortes meæ. Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia

b 3

## MEDICINA ANIMÆ

tua Domine &c. Porro in primis hoc monē-  
dus es, qui morbo conflictaris, ne cogites  
# quæ peccata admiseris, sed potius salutaræ  
& preciosissimæ mortis Christi imaginem  
tibi ob oculos positam contemplare, eam  
animo tuo penitus infige, & certo tibi per-  
suade, peccatis admissis iã nō te, sed Christū  
premi, eaq; omnia Christi humeris imposi-  
ta esse, qui ea translata in se, expiauit & de-  
pendit pro nobis, ita ut nunq̄ sit nobis ea im-  
putaturus, sed remissurus gratis omnia, ue-  
luti in Symbolo fidei dicimus, Credo re-  
missionem peccatorum.

### HIC AEGROTANTI

*uerbi diuini testimonia de remissione peccatorum per  
Christum, diligenter inculcanda, quorum aliquot subieci-  
mus, ut essent in promptu.*

Ioan. 1. Ecce agnus Dei qui tollit pecca-  
ta mundi:

1. Pet. 1. Non caducis rebus uelut auro  
& argento sumus redempti, sed precioso  
anguine uelut agni immaculati & inconta-  
minati Christi. Hæc frater mi, altissime de-  
mitte in animum tuum, hæc te erigant & cō-  
solentur. Non est q̄ de remissione peccato-  
rum ambigas, si quidem Christi nomen pro-  
fessus es, & illius misericordia fidis, tua eti-  
am



D. VRBAN. RHEG.

am tollet peccata. Quod si nihil hæsitaue-  
ris, iam liberatus es ab omnibus peccatis tu-  
is, iam factus es Dei filius. Nihil est q̄ me-  
ruas. Sed audi plura testimonia, atq̄ ita au-  
di, ut penitus animo imprimas.

Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut fili-  
um suum unigenitum daret, ut omnis qui  
credit in eum non pereat, sed habeat uitam  
æternam: Qui credit in eum non condem-  
natur.

Matth. 9. Non ueni ad uocandū iustos,  
sed peccatores ad poenitentiam.

Matth. 11. Venite ad me omnes qui labo-  
ratis & onerati estis, & ego reficiam uos.

Omnes ad se uocat mi frater, nullum re-  
pudiat, nullum reijcit. Huic uoculæ, (om-  
nes) etiam te includes, eiusq̄ misericordiã  
implorabis, & refocillabit suicipietq̄ te.

Rom. 5. Commendat suam charitatem  
erga nos Deus, q̄ cum essemus adhuc pec-  
catores, Christus mortuus est pro nobis:  
Multo magis ergo nunc iustificati sangui-  
ne eius seruabimur ab ira per eum.

Hoc Euangelium plenum summæ conso-  
lationis, etiam tibi, mi frater, denunciari uo-  
luit Deus pater, tui amantissimus. Nam &  
tibi missus est Christus, tibi etiam mortuus  
est, Crede modo & commenda te Christo  
seruatori & uindici tuo.

## MEDICINA ANIMÆ

Rom. 5. Si cum inimici essemus reconciliati fuimus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati seruabimur per uitam ipsius. 1. Corinth. 1. Christus factus est nobis sapiētia a Deo, iusticiaq; & sanctificatio & redemptio.

Hic frater charissime, animum erige, Ut maxime peccator, sis non est q; ideo despōdeas animum, sed confitere & agnosce te coram Christo peccatorem, Christi misericordiam implora, ueniam pete, & crede Christum unicum esse seruatorem, Christum esse salutem & iusticiam tuam, & erit continuo tua, tegetq; & abolebit omnia peccata tua, ut nihil tibi metuendum sit inde uel periculi uel damni.

2. Corint. 5. Eum qui non nouit peccatum pro nobis peccatum fecit Deus, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum.

Gal. 1. Se ipsum pro peccatis nostris dedit Christus, ut eriperet nos ex præsenti sæculo malo, iuxta uoluntatem Dei & patris nostri.

Ephe. 1. Per Christum habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum iuxta diuitias gratiæ suæ.

1. Timo. 1. Christus Iesus uenit in mundum, ut peccatores saluos faceret. Hoc mi frater spera & tu, his uerbis habe fidem, quæ admodū

D. VRBANI RHEG.

admodum Paulus, tunc saluaberis & iustificaberis. 1. Timo. 2. Christus Iesus dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus. Hoc, mi frater, constanter crede, iamque unus es ex redimendis citra controuersiam.

Hebr. 10. Sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam.

Matth. 26. in coena audis Christum tecum loquentem, tecibantem corpore suo, tibi exhibentem sanguinem suum ad uitam aeternam, ubi inquit: Accipite comedite, hoc est corpus meum quod pro uobis datur, Hoc facite in mei commemorationem. Similiter & postquam coenauit accepto calice, dixit: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum, Hoc facite quotiescumque biberitis in mei commemorationem.

Haec uerba, mi frater, & tibi dicta putabis: haec animo tuo altissime infiges. Nam cum ad omnes loquatur, etiam tibi loquitur, tibi tibi inquam, non minus quam Petro & Paulo proderunt, in tuam salutem & emolumentum cedent omnia, quae Christus passus est.

1. Pet. 2. Christus peccata nostra ipse pertulit in corpore super lignum.

1. Pet. 3. Christus semel pro peccatis passus fuit, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo.

## MEDICINA ANIMÆ

1. Ioan. 1. Sanguis Iesū Christi emūdat nos ab omni iniquitate.

1. Ioan. 2. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Deum Iesum Christū iustū, ipse est propiciatio pro peccatis nostris.

Potes plures sententias, potes & pauciores sumere, pro ut uideris decumbentem affectum esse. Audisti hic frater charissime, uerba non hominis, sed Spiritus sancti, quę testantur palam, quod Deus pater, qui non uult mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat, pro summo illo suo in te amoris flagrantissimi affectu, peccatorum tuorum sarcinam te leuarit, eaq; humeris filij sui dilectissimi imposuerit. Is ea suo corpore baiulauit & pertulit, ut non possint te damnare unquam. Quippe Deus mortē filij sui loco plenarię & sufficientis satisfactionis, solutionisque pro peccatis tuis omnibus reputat & accipit modo in Christum credideris. Cum itaq; peccata tua in Christum coniecta, in morte eum detinere suumq; facere & damnare nō potuerint, profecto iam satisfactum est pro ijs, tibiq; iam remissa omnia. Hoc crede, uiuesq; in æternum. Christus ipse tulit peccata tua & mortuus est pro ijs, sed resurrexit, suntq; peccata credentium per Christi mortem abunde satis depensa & expiata. Atque ita strictę seueręque iusticię Dei pro peccatis

tis

D. IURBAN. RHEG.

tis satisfactum est & plus satis, per Iesum Christum. Christus iam tuus est & omnium credentium, cum bonis suis omnibus, cum morte sua, cum resurrectione, cum ascensione in caelos, cum uita, cum meritis, cum gloria sua, Romanos s. Quapropter nihil in te iuris habet Satan, nulla te iniuria afficere potest, cum sis per Christum iustificatus, cum sis ab omnibus tuis peccatis liberatus, cum sis Dei filius. Deus pater tuus est, tui amantissimus est, propter Christum, qui te reconciliauit. Quapropter fac animo bono sis, & gaudeas in Domino, siquidem cum sis in manibus Dei omnipotentis, patris tui fidissimi atque optimi, in portu nauigas, extra omne periculum es, nihil tibi incommodi, nihil aduersi euenire potest, nam Dei custodia ac satellitio angelorum septus es. Christus tuus est quantus quantus est, is omnia peccata tua sua innocentia obtegit & aufert. Nemo te manibus patris tui coelestis extorquere poterit. Vbi crucem & afflictionem hanc corporalem (quae sane collata ad uitam aeternam, leuissima est & momentanea) pertuleris deuorarisque, uicisti. Christus in simili, imo longe acriore atque horribiliore agone fuit. Hic praecessit, hic caput tuum est, cui necesse est ut fias conformis, atque peccatis moriaris, ut tamque hanc peccatis madidam sordidatamque

## MEDICINA ANIMÆ

deponas, ut cum Christo Domino tuo in æternum uitam ueram uiuas. Ne te angant peccata tua, non est quod ob ea conscientia tua maceretur cum iam ablata sint & abolita. Spiritus ille malus exitium animabus nostris machinans, tibi deuictus, tibi pessum datus est. Deus iam tui curam agit, te tuetur, & custodit, inque te respicit totum Angelorum & Sanctorum omnium sodalicium. Ac ut Christus damnari non potest, ita nec tu damnari potes, modo tota cordis fiducia Christo adhæseris. Si peccatum, mors, infernus Christo Domino tuo nihil incommodi inferre possunt, nec tibi incommodare possunt, si quidem in Christo es, & Christus in te est: nunquam igitur damnari potes. Quod si ipsi tibi peccata tua ferenda & expianda essent, nullo modo par esse posses ferendo tanto oneri, peccata longe te præponderarēt, & ad imos inferos demersum absorberēt. Verum Christus uerus Deus, idemque uerus homo, obtulit ultro seipsum pro te, seque in tuum locum substituit, pro te dependēs omnia, ueluti. Psal. 69. ait. Quæ non rapui exoluebam. Tu quidem commisisti peccata in te, sed ea luit atque expiauit pro te Christus, teque in libertatem asseruit, & uitæ æternæ consortem fecit, si modo huic Euangelio credideris.

Si

D: VRBAN. RHEG.

Si soli tibi totius mundi peccata incum-  
berent, satis tamen esset apud Deum gratiæ  
& misericordiæ, & plus satis. Deus tibi in  
Christo benedictionem promisit & gratiã,  
eaq; in Christo Domino tuo rata est & cer-  
ta absolutaq;. Non potes non saluari si mo-  
do in Christum oculos conieceris. Nã Chri-  
stus, naturalis Dei filius est, in hypostasi di-  
uina ueritas ipsa: quantum ad humanitatẽ,  
sanguis & caro nostra. Quis ad promissio-  
nem gratiæ donandam & exoluendam cer-  
tior erit hoc Christo, qui ipse ueritas eius  
promissionis est, quiq; nos efflictim & ardẽ-  
tissime amat, adeo ut mortem oppetere uo-  
luerit q̄ promissione ulla nos frustrari. Quo-  
circa, si in Christum credideris, iã benedicti-  
onis diuinæ confors factus, iam peccatorũ  
tuorum sarcina leuatus, iam hæres Dei &  
cohæres Christi es in omne æuum. Quip-  
pe: Cœlum & terra transibunt, uerbum au-  
tem Domini manet in æternũ. Crede ita-  
que, frater mi, bonaq; spe animum erige,  
nec dubita, Deum illum maximum & opti-  
mum, etiam tibi, hoc est, ob tuam salutem,  
hominem factum, etiam tibi natum, tibi in  
cruce mortuum esse, tibi a mortuis surrex-  
isse, & cœlos ascendisse, eaq; quæ promissa  
nobis erant, uniuersa præstitisse & obtulisse.  
Quotquot sunt promissiones Dei per Chri

*pitias multo*

## MEDICINA ANIMÆ

stum sunt etiam & per ipsum sunt Amen. 2  
Corinth. 1. Quapropter a Deo expere &  
expecta aliud nihil q̄ meram gratiam, &  
misericordiam, eamq; propter & per Chri-  
stum. Siquidem extra Christum nulla est cō-  
solatio, nulla salus, nulla spes, nullum auxili-  
um. In unico hoc Christo, omne solamen,  
omnis refocillatio, omne præsidium & sub-  
sidiū, breuiter tota salutis nostræ ratio, om-  
nis in illo gratia & misericordia, multo & in-  
finitū maior, uberior, & sublimior q̄ quis-  
quam hominum queat uel comprehende-  
re uel optare. Deus nobis fidem firmam &  
constantem largiri dignetur.

In hanc formam, uel prolixiore uel suc-  
cinctiore oratione, pro ut res poposcerit,  
ægotantem consolaberis. Ac moneo fra-  
ter in Domino, ut quanto conatu studioq;  
potes, ab horrenda atq; terribili peccatorū  
& mortis contemplatione animum auoces,  
inq; solum Christum omnes intendas cogi-  
tationes, in hunc oculos mentis figas, huic  
toto pectore adhærescas, hunc imbibas,  
hunc plena animi fiducia inuoces, huic te to-  
tum committas. Siquidem in hoc Christo  
nihil inuenies aliud q̄ summam innocentia,  
iusticiam, uitam & salutem, quæ omnia a  
Christo in te deriuata tua iam sunt, si modo  
Christum ut salutis tuæ authorem & redēp-  
torem



D. VRBANI RHEG.

torē agnoscere uolueris. Quare iterū iterūq;  
moneo, totiesq; inculco (nec id temere) ne  
peccatorum memoriam apud animum tu-  
um renoues, perpendensq; eorum multitu-  
dinem atq; magnitudinem te excrucies.  
Peccatis procul ablegatis solum Christum  
crucifixum pone ob oculos, hunc corde tuo  
infige, in hoc sit totus animus tuus, & sensus  
tui, ad hunc plena fiducia cōfuge, huic mor-  
dicus & indiuulse toto pectore adhære,  
Hac ratione aduersus inferorū portas quan-  
tumuis diras illas, quantumuis sæuas terrifi-  
casq; præualebis ac subsistes. Reuoca in  
mentem tibi quāta humanitate, quanta cle-  
mentia, quanta comitate & benignitate  
Christus in Euangelica historia omnes pec-  
catores, qui pœnitentia acta ueniam expeti-  
uerūt, opemq; ipsius implorauerunt, susce-  
perit tractaritq;. Inuenies Magdalenam, in-  
uenies Latronem cruci ad dextram affixū,  
inuenies Publicanum, inuenies Zacheum,  
aliosq;, quos insigni humanitate susceptos  
a peccatis quamuis grauibus liberos pronū-  
ciauit. Christus enim ipsissima est gratia,  
misericordia, auxilium, cōsolatio, uita, gau-  
dium, & salus omnibus ijs, qui hæc ab ipso  
expectant, & fiduciam suam in ipsum col-  
locant. Deus omnia hæc propter Christū  
promisit, qui ueritas est, & mentiri non

## MEDICINA ANIMÆ

potest. Nunq̄ itaq; nos faller, nunq̄ frustra-  
bitur, nunq̄ deseret nos.

Porro cum periclitanti tibi de uita occur-  
ret, sicubi damno affecisti proximum tu-  
um, ut si uel furto, uel ui abstulisti aliquid,  
uel famā alicuius lesisti, tum facies idē, q̄d  
Christus in Cruce, orabis pro omnibus ini-  
micis tuis, n̄scq; ex animo condonabis om-  
nes iniurias. Si quid tui ablatum est furto,  
non reposces uiolentiū. Si quid tu alieni  
subduxisti, redde, si potes, aut cura ut red-  
datur, nec celabis quicq̄, sed confiteberis, &  
dolebis te peccasse, ueniāq; orabis. Quod  
si propter fortunarum tenuitatem ablatum  
restituere nō potes, faterit, si tu alijs cōdo-  
naueris, qui uel rebus uel corpori tuo uim  
& iniuriam intulerunt, famæq; tuæ obtre-  
ctauerunt. Si, inq̄, his ex animo condona-  
ueris, non est q̄ sis sollicitus, bono sis ani-  
mo, nec dubita quin etiam remissurus sit ti-  
bi iniuriam a te alteri illatam Deus. Neque  
enim potest non remittere ei delicta, q̄ prox-  
imo condonat. Siquidem ipse docuit nos  
hanc compensandi & dissoluendi rationē.  
Matth. 6. Si remisistis hominibus errata  
sua, remittet & uobis Pater uester cœlestis.

CVM MORS TERRO.

REM INIICIT.

Cogitabis mortem per Christum deus,  
etiam

## D. VRBANI RHEG:

et amatoꝝ ad internitionem deletā esse. Ac  
nisi Christus nostri misertus mortē pro no-  
bis oppetisset, mors ingenti & horribili anx-  
ietate cruciatibusq; intolerabilibus nos uex-  
aret; uerū uicta iam & pessundata per Chri-  
stum morte, animæ Christo fidentiū mori  
& interire non possunt, sed post emigratio-  
nem ex hoc corpore recta ad Christū profi-  
ciscūtur. Sic audit latro ille in extremis agēs:  
Hodie mecum eris in Paradiso. Interim cor-  
pus conquiescit certa spe ad beatissimam  
illam immortalem uitam resurrecturum no-  
tissīmo die, augusta cum gloria, magnificē-  
tia, decore, ut renouatum clarificatūq; unia-  
cum anima in perpetuum uiuat, cū Christo  
& electis omnibus, inter quos inuenientur  
etiam multi, qui nobis in his terris uel amici-  
tiæ uel cognationis uinculo iuncti fuere.  
Ideoq; mortem piorum Sacræ literæ som-  
num uocant. Idem enim hoc caducum, fra-  
gile, imbecillum, mortale & computrescēs  
corpus nostrum, die extremo excitabitur,  
ut excitatur homo somno sopitus, & mox  
extincta abolitaq; morte apparebit incor-  
ruptibile, gloriosum, formosum, firmum, sa-  
lubre, immortale, sanum, purum, integrū,  
& spirituale. i. Corint. 15. Hinc Psal. 16. ait,  
Quam preciosa mors sanctorū.

c

## MEDICINA ANIMÆ

Hæc, mi frater, apud animum tuum ex-  
pende, ne seducaris cum mundo. Mundus  
prorsus nos mori, corpus una cum anima  
intercidere & interire, nihilq; nostri post  
discessum ex hac uita superfuturum opina-  
tur. Sed tota uia totoq; celo errat, Neutiq;  
tam uile tamq; despicabile est corpus nostrū  
coram Deo, Suus illi honor, gloria, & salus  
præparata & destinata est. Idē hoc corpus  
quod circumferimus, quodq; lecto affixū  
morbo conflictatur, idem, inquam, hoc cor-  
pus renouatum & glorificatum una cum  
anima uiuet in æternum. Quod si cor-  
poris iacturam faceremus, nec unq; id recu-  
peraremus, neutiq; preciosa & magnifica,  
sed uilis, sed horribilis, sed teterrima Sancto-  
rum mors esset. Quocirca, non oscitanter  
hæc expendes, animumq; uacillantem, bo-  
na spe erectum, scripturæ sententijs fulcies.  
His crede nihilq; addubita. Certa sunt &  
indubitata, quæ dico. Ut Christi corpus in  
tertium usq; diem sepultum, tertio die resur-  
rexit, ad nouam & æternam uitam, nunq;  
denuo moriturum, Ita & omnium corpora  
qui in Christo obdormierunt, hoc est, qui  
in Christum crediderunt, quiescunt in mo-  
numentis ad tempus duntaxat in spe certis-  
sima lætissimæ & pulcherrimæ resurrectio-  
nis, resurrectura die illo nouissimo in nouā  
&

## D. VRBAN. RHEG.

& perpetuam uitam, ubi nec peccatum nec mors ulla erit, nec ulla calamitas, sed nihil aliud quā iusticia, innocentia, uita, gaudiū, beatitudo, salus in sæcula sæculorum. Promisit hæc Deus qui infinitæ potentia est, qui ueritas ipsa est. Fient itaq; indubie. Huius promissionibus fide, mi frater. Porro, testimonia scripturæ de carnis resurrectione diligenter animo inculcanda sunt. Docet nos hoc Paulus, ut istiusmodi sermonibus de resurrectione mutuo nos firmantes animos consolationibus erigamus. Nec ullæ certiores, nullæ uberiores consolationes dari possunt quæ ex scripturæ testimonijs de resurrectione petimus. Non humana uerba sonamus, sed Dei, qui certo potenterq; præstabit quæ locutus est. Nemo Dei uoluntatem immutare, nemo illius propositum & sententiam impedire aut remorari potest. Immensæ est potentia, uerax est & fidelis, ineffabilis illius est & inexhausta bonitas & misericordia. Nemo itaq; de hoc ambiget.

### TESTIMONIA DE RESVR RECTIONE MORTUO RVM.

Matth. 13. Iusti fulgebunt ut sol in regno patris sui. Ioan 5. Amen amē dico uobis, q; sermonē meū audit, & creditei q; misit me,

## MEDICINA ANIMÆ

habet uitam æternam, & in condemnatio-  
nem non ueniet, sed transiuit a morte in ui-  
tam. Ioan. 6. Hæc est uoluntas patris mei  
qui misit me, ut omnis qui uidet filium, &  
credit in eum, habeat uitam æternam, et ego  
suscitabo eum in nouissimo die. Ioan. 8.  
Amen amen dico uobis, si quis sermonem  
meum seruauerit, mortem non uidebit in  
æternum.

Ioan. 11. dicit Christus, Lazarum dormi-  
re, qui tamen expirauerat, cuiusq; cadauer  
iam sepulchro mādatum erat, sed Christus  
uitæ reddit mortuos, & uocat ea quæ non  
sunt, ut sint. Rom. 4. Itaq; subdit: Ego  
sum resurrectio & uita, qui credit in me, eti-  
am si mortuus fuerit uiuet, statim post hæc  
uerba excitat Lazarum, putrescentem iam  
quatruiduanum & olentem.

Et quia natura in his agonibus pusillani-  
mes sumus & meticulosi, ut ad credendū, qd  
futura sit resurrectio, ad miniculi plus habere  
mus, multi a mortuis ad uitam sunt reuocati  
temporibus Prophetarum & Apostolo-  
rum. Christus excitat a mortuis uiduæ filiū,  
Luc. 7. Excitat & principis synagogæ fili-  
um Luc. 8. Excitat & Lazarū. Ioan. 11. 2  
Petrus item uitæ restituit Tabitham. Acto  
9. Paulus Eutychem. Acto. 20. Eliseus  
Propheta hospitiæ suæ filium. 4. Regū 4.  
Elias

## D. VRBANI RHEG.

Elias Propheta Sareptanæ puerū, 3. Reg. 17. mortuum ad uitam reuocat: Deus item duos illos maximos & sanctissimos uiros, Enoch, Gene. 5. & Eliam 4. Reg. 2. uiuos, una cum corpore & anima, ex hac fragili uita raptos assumpsit ad se, ut per illos significationem aliquam futuræ & ueræ uitæ daret, ne iuxta Ethnicorum & Epicureorum opinionem, & nos post hanc calamitosam uitam, nihil nostri superesse crederemus.

Porro, commonefacies pusillanimum ægrotum, ut cogitet, quid maximus ille & potentissimus Dominus mortis & uitæ, Iesus Christus dicat Lucæ 8. Nolite flere, non est mortua puella sed dormit. Ratio incredula non intelligens Dei mysteria deridet hæc. Verum Christus uerbis fidem addēs, simul cum dicto puellam mortuam uitæ restituit. Hic idem Dominus Iesus Christus animam tuam excipiet, custodietq; , & nouissimo die, animæ corpus reddet, copulabitq; ad uitam æternam.

Ioan. 5. Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient uocem eius & prodibunt, qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ. Rom. 8. Quod si spiritus eius qui excitauit Iesum a mortuis habitat in uobis, is qui excitauit Christum ex mortuis,

## MEDICINA ANIMÆ

uiuificabit & mortalia corpora uestra propter ipsius spiritum inhabitantem in uobis. 1. Cor. 6. Deus Christum Dominū suscitauit, & nos suscitabit per potentiam suam. Caput decimum quintum primæ ad Corinth. dulcissimis & efficacissimis consolationibus refertum est, ideo nullo auro æstimabile. In eo Capite Paulus resurrectionem nostram ita annectit affigitq; Christi resurrectioni, ut separari & diuelli inde non possit, in hanc sententiam.

Christus resurrexit a mortuis (id quod est certissimum) ergo citra dubium relurgetur & nos. Christus enim caput est nostrū, nos membra. Caput hoc non est sine membris suis, nec relinquit & deserit membra sua. Vbi Christus est, ibi erimus & nos, sumus enim membra corporis eiusdem, ex carne & ossibus eius. Ephe. 5. Quis immensam illam gloriam inæstimabilis & ineffabilis gratiæ misericordiæq; pro dignitate satis de prædicare potest, quod Deus e cœlis se demittens ad infima dignatus est homo fieri mortalis, ut caduca hæc & fragilis hominum natura, diuinæ naturæ unita ad uitam immortalem, per infinitā & incomprehensibilem diuinitatis uim atq; efficaciam, regni cœlestis consors facta, proueheretur. Si crederemus tantas diuitias  
nobis



D. VRBAN. RHEG :

nobis donatas, & tam beatum uitae genus  
nos manere, qui quæso animo consternari  
& angī possemus. Natura omnium fidelium,  
qui & ante & post Christum fuerunt & futu-  
ri sunt, extra dubium in Christo, uero homi-  
ne, & uero Deo immortalitatem induit. Uer-  
rima itaque & efficacissima est consolatio de  
resurrectione Christi, qua Paulus Corinthe-  
orum animos firmat, ubi inquit. Christus  
surrexit a mortuis, primitiae eorum qui dor-  
mierunt fuit, postquam per hominem mors, etiam  
per hominem resurrectio mortuorum. Quem  
admodum enim per Adam omnes moriuntur,  
ita & per Christum omnes uiuificabuntur,  
unusquisque in proprio ordine, primitiae Chri-  
stus, deinde qui sunt Christi. Addit hic  
Paulus similitudinem de rebus naturalibus,  
unde corporum resurrectio clare & mani-  
feste percipi & declarari potest. Sumpta est  
autem similitudo a semine, quod ab agricola  
aridum in terram proiectum, moritur quasi,  
computrescitque. Non tamen prorsus perit  
terre mandatū, sed prodit e terris amœna,  
eleganti letaque forma ac specie nouum & recens.  
Sic & corpus nostrum resurget non corruptibile,  
caducum, fragile, flaccidum interiturumque,  
ut nunc est, sed speciosum, elegans, for-  
mosum, forte, uiribus integris, & immorta-  
le in uitam æternam.

## MEDICINA ANIMÆ

Hæc est uia per mortem hanc corporale  
in ueram & æternam uitam, in ueram patriam,  
Caro & sanguis hæreditatem regni Dei, in  
quo nihil nisi uita est, consequi non potest.  
Atq; ob id oportet corruptibile hoc corpus  
induere incorruptibilitatem, & mortale hoc  
induere immortalitatem. Tum fiet sermo  
qui scriptus est. Absorpta est mors in uictori-  
am. Esa. 25. Osee 13. Qui credunt in Chri-  
stum, iam peccatum, mortem & inferos ui-  
cerunt, ideo mortem contemnentes, & in  
Christo iam fortes & animosi, dicent: Vbi  
mors aculeus tuus? Vbi tua inferne uicto-  
ria? Aculeus mortis peccatum est, potentia  
peccati lex. Sed laus Deo qui dedit nobis  
uictoriam per Dominum nostrum Iesum  
Christum. Addemus & alias sententias  
plenas uberrima consolatione. 1. Corin. 4.  
Qui Dominum Iesum Christum suscitauit  
ex mortuis, suscitabit & nos, Phil. 3. No-  
strum politeuma in caelis est, ex quo & serua-  
torem expectamus Dominum Iesum Chri-  
stum, qui transfigurabit corpus nostrum hu-  
mile, ut conforme reddat corpori suo glori-  
oso secundum efficaciam, qua potest etiam  
subicere sibi omnia. Colo. 3. Emortui  
estis & uita uestra abscondita est cum Chri-  
sto in Deo. Quando cunq; Christus mani-  
festatus fuerit uita uestra, tunc & uos cum  
illo

D. VRB AN. RHEG.

illo manifestabimini in gloria. 1. Thessa 4.  
Nolo uos signorare fratres de his qui obdor-  
mierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæ-  
teri non habentes spem. Nam si credimus  
quod Iesus mortuus est & resurrexit, sic &  
Deus eos qui obdormierunt per Iesum ad-  
ducat cum illo.

Solatur & Paulus Timotheum discipulū  
articulo resurrectionis, 2. Timo. 2. his uer-  
bis. Memento Iesum Christum resurrexis-  
se a mortuis ex semine David, secundum E-  
uangelium meum. Si com mortui sumus cū  
Christo & conuiuemus, si sufferimus & con-  
regnabimus. Heb. 2. dicit Christum per  
gratiam Dei pro omni gustasse mortem. Et  
ibidem ait, Christum participem factum  
carnis & sanguinis, id est, uerum hominem  
fuisse, ut per mortem aboleret eum qui mor-  
tis habebat imperium, hoc est, diabolum, &  
liberos redderet eos, quicunq; metu mortis  
per omnem uitam obnoxij erant seruituti.

2. Timo. 1. Deus saluos fecit nos, & uo-  
cauit uocatione sancta, non secundum ope-  
ra nostra, sed secundum suum propositum  
& gratiam quæ data est nobis per Christum  
Iesum ante tempora æterna, sed palam facta  
est nunc per apparitionem seruatoris no-  
stri Iesu Christi, qui mortem aboleuit, uitam  
in lucem produxit ac immortalitatem.

## MEDICINA ANIMÆ

1. Ioan .3. Scimus q̄ translati sumus de morte ad uitam, quia diligimus fratres, 1. Ioan 4. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, q̄ filium suum unigenitum misit Deus in mundum, ut uiuamus per eum. Iob .19. Scio q̄ redemptor meus uiuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea tridebo Deum. Quem uisurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi sunt & non alius.

Hæc scripturæ testimonia qui diligenter meditatatur, non potest non maxima consolatione ingentiq̄ læticia affici, eius rei exemplum nobis euidentissimum esse Paulus potest, qui (Philipp .3.) ex animo gaudens gratulatur sibi, quod cognouerit Christum, & potentiam resurrectionis illius, per quam mors nostræ morti allata est. Nunc itaque mors ijs qui credunt in Christum, mortua est, nihil nunc in morte terribile est, quod formidandum & extrimescendum sit, præter imaginem & speciẽ, perinde ut serpens extinctus, pristinam quidem & terribilẽ illam imaginem suam obtinet, cæterũ ad lædendum nihil in se uiriũ habet. Et quemadmodũ per æneum illum serpentem, a Mose in deserto erectum, Num .21. diuini uerbi potentia cum inspiceretur, uiui serpẽtes moriebantur, nec ludæi uiuentum serpentũ uene-

no/

## D. VRBANI RHEG:

nō infici poterant, Ita & mors nostra mori  
tur, sitq; innoxia, & minime metuenda, si  
saluificam Christi mortem oculis fidei fueri  
mus contemplati. Breuiter, mors a similis  
imagini & umbræ mortis, imo uerq; uitæ ini  
tium & aditus est. Christus qui ueritas ip  
sæst, Ican .s. ait: Si quis sermonem meum  
seruauerit, mortem nō uidebit in æternum.  
Qui quæso fit hoc? Dicam. Homo Christi  
misericordia fidēs, propter fidē ex Euāge  
lio haustā, Christo Domino suo, qui uera  
est uita, sic incorporatus est, ut ita dicā, & sic  
united & copulatus, ut ab eo separari & di  
uelli nō possit. Hoc itaq; corpus ab anima se  
iūgitur, in spe minime dubia resurrectionis  
gloriosæ ad uitā æternā. Quippe intra bre  
ue tēporis spatium corpus animæ reddit,  
ut perfruat æternis gaudijs. Atq; ita in Chri  
stū credēs, æternā mortē corporis & animæ,  
hoc est, æternā damnationē & uerā mortem  
nō uidet. Siquidē piorū mors, emigratio &  
profectio est ex uita hac mortali, in immor  
talē ad Christū, ad angelos, ad Sāctos oēs.  
CVM INFERNVS SEVDAM  
NATIO ÆTERNA OCCVR  
RENS TERRET.

Spiritus ille male uolus, mirificā homini  
de prædestinatiōe sui sollicitudinem inijcit,  
diras has & horribiles cogitationes sug

## MEDICINA ANIMÆ

gerens. Quid si Deo non placeres? Quid si te reiecisset? Quis scis te esse ex illorum numero, quos ad uitam æternam elegit Deus? Hæc ac similes tentationes longe sunt durissimæ, grauissimæq; animum discruciant & angunt. Quapropter omni hîc pede, quod dicitur, stes, constanterq; in hac acie partes tuas tuearis necesse est. Quod si uero uictoriam obtinere in prælio hoc uolueris, hoc stratagemate, hac arte illum aggrediaris oportet. Mox ubi hæc tentationes tibi a Satana immittuntur, caue descendas cum illo in disputationem, caue cum illo te committas, illiq; ex aduerso respondeas, uerum his uerbis cogitationibusue prorelatum a te repelle. Aufer te hinc Satana, abi in rem malam, Scriptum est, non tentabis Dominum Deum tuum. Cum Deus semper pro paterno suo in me animo maximis & infinitis beneficijs me affecerit, cum uita hac me donarit, eamq; hætenus fouerit ac seruarit, cum bonis omnigenis cumularit, quæ esset dementia de illius misericordia addubitare? Cum me per Baptismum in gregem suorum receptum, albo Christianorum ascripserit, cum ad Euangelium gratiæ suæ, in quo se futurum patrem meum promisit, me uocauerit, qui non optima quæq; ab ipso expectarem, summaq; mihi de ipso pollicerer?

Qui

D. VRBANI RHEG.

Qui non esset propensissima & obuia expo-  
sitissimaq; illius in me uoluntas? Quid  
multa? Stultissimum est & periculosum in-  
dulgere his cogitationibus de prædestinati-  
one. Porro autem cogitationes has alijs  
obrues & antevertes, quibus Deus tuū ani-  
mum occupari uult, uidelicet ijs quas Chri-  
stus ipse præscripsit. Ioan. 3. ubi inquit,  
Qui credit in Christum, non perit, sed habet  
uitam æternam. Audin q; is qui credit in  
Christum, qui Christum sanctificationem,  
salutem & iusticiam suam agnoscit, damna-  
ri non possit? q; q; sit salutis & uitæ æternæ  
consors futurus? Quotquot itaq; misericor-  
dia Christi fidunt, extra controuersiam e nu-  
mero sunt eorum, qui electi sunt ad uitam  
æternam, in Christo præsciti & prædestina-  
ti, iam olim in librum uitæ conscripti.

At qui prædestinati sunt ad uitam æternā,  
i; imagini Christi conformes fiunt. Fidem  
autem ob quam coram Deo iusti reputan-  
tur, non nisi ex uerbo Dei concipiunt. Hac  
itaq; fide, hoc est, fiducia misericordiæ gra-  
tis propter Christum donatæ saluantur.  
Certissima hæc sunt, & longe uerissima.  
Deus nec falli potest nec fallere quenq;. Con-  
siliū hoc est Dei patris benignissimi & ue-  
re philanthropi. Hæc sic ab æterno propo-  
suit, sic præsciuit, sic præfiniuit. Rom. 8.

## MEDICINA ANIMÆ

Non est igitur q̄ temorentur aut perterre-  
faciant, ea quæ Hostis ille salutis nostræ inui-  
dens, exitium animæ nostræ moliens sug-  
gerit hisq̄ opponit. Fac modo credēs Chri-  
sto, fiducia misericordiæ te erigas, nec quic-  
quam erit periculi. Nam si spem & fiduci-  
am tuam figis in Christum, Christus tuus est  
& tu Christi es; Hoc te redimente perire &  
damnari nullo modo potes. Siquidē Chri-  
sto credentes per patrem pertrahuntur ad  
Christum (Ioan. 6) Per eundem eos salua-  
ri, nec quenq̄ ex ijs perire uult. Ioan. 10.  
Quapropter fac fortis animo, fac constā-  
ter credas & bonam spem de Christo conci-  
pias. Quicumq̄ in Christum credunt, iñdem  
ad uitam æternam prædestinati sunt. In  
Christum itaq̄ oculi intendēdi, ad illum cō-  
fugiendum: hic unicus & uerus seruator  
noster apprehendendus fide est, si saluari uo-  
luerimus. Hic unusquisq̄ diligenter expen-  
dat seriam illam exhortationem Pauli, He-  
bre. 12. cuius uerba hæc sunt: per tolerantia-  
m curramus in proposito nobis certamine,  
respicientes ad fidei ducem & consumma-  
torem Iesum, qui proposito sibi gaudio per-  
tulit crucem ignominia contempta, & ad  
dextram throni Dei consedit

Porro oēs tētationes quibus uexatus est  
grauissimis Christus, nostra causa pro no-  
bis pertulit, teste eodē Paulo Hebrę 4. Nō



D. VRBANI RHEG.

habemus Pontificem, qui non possit affici sensu infirmitatum nostrarum, sed tentatum per omnia iuxta similitudinem absq; peccato. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inueniamus ad opportunum auxilium.

Hæc, frater mi, imprime animo tuo. Datus est nobis Christus primum in hoc, ut nos redimeret, reconciliaret, & salutis æternæ participes faceret. Deinde, ut esset exemplum nobis ad uitam pie tum exigendā tū defungēdā. Quod si itaq; pie & foeliciter diē tuum obire uoles, fac Christi morte tibi ob oculos posita, ad illius exemplū & tu uitā finias. Quippe Christus propositus est nobis exemplum imitandum in uita, in omni afflictione, in morte. Nemo pie uiuet, nemo afflictiones perferet, nemo mortem foeliciter subibit, nisi Christi uitam, & mortem sibi proposita, imitatus fuerit. Christi morte omnium piorum mors absorpta est & abolita. Quocirca considerabis & medita beris diligenter, quomodo in agone illo longe omnium acerrimo gesserit sese, cum pendens in cruce grauissimis tentationibus obrueretur. Hunc Christum imitare inuocato Dei auxilio.

Primo tentabatur morte, cum obijcere

## MEDICINA ANIMÆ

tur illi: Alios seruauit, seipsum non potest  
seruare. Ac si dicerent, iam actum est cum  
illo. Moriendum est illi & pereundum om-  
nino, Nemo eum manibus nostris extortū  
liberabit. Ad hunc modum tibi quoq; ho-  
stis ille noster irrecōciliabilis terrorem mor-  
tis incutiet, Sed tu contra audentior ito:  
Collige animum, eumq; spe bona confir-  
mato, Christus hostem illum uictū pessun-  
dedit. Vinces & tueundem per Christum:  
Obtende scutum fidei in Christum. Domi-  
nus tuus Christus, Rex gloriæ, idemq; Do-  
minus uitæ, nō factus est morti obnoxius,  
sed uiuit & regnat. Hic Dominus & uindex  
tuus, uiuens & regnans non destituet te, non  
patietur ut ullam in te tyrannidem mors ex-  
erceat. Frustrari te non potest, nec mentitur,  
cum ueritas sit. Hanc de illo fiduciam con-  
cipe, optima quæq; tibi de illo pollicere, ui-  
uesq; cum illo in omne æuum. Quod autē  
uult te tentationibus conflictatum, mortem  
corporis subire, id omnino tua causa fit.  
Neq; enim alia uia in ueram illam & æter-  
nam uitam transmigratur, q̄ per corporis  
mortem. Relinquenda itaq; & deponenda  
est hæc uita, si æterna potiri uolueris. Ita  
post uitam hanc, incipies demum uere ui-  
uere. Præterea prodest etiam ad hoc mors  
hæc corporalis, ut degustata eius amaritu-  
dine

D. V RBANI RHEG.

dine & acerbitate experiaris & agnoscas q̄  
ardens fuerit Christi in te amoris affectus,  
quam inestimabile beneficium in te contu-  
lerit, cum pro te mortem oppetens suo cor-  
pore dependeret & expiaret omnia delicta  
tua, morte in totum extincta & abolita, por-  
tisq; inferorum deiectis, subuersis, conuas-  
satis. Nunq̄ enim experiri aliter & intellige-  
re potuisses, quanta esset energia & potentia  
uitæ in Christo, quæ mortem nostram ab-  
sorpsit, nec beneficij magnitudinem agno-  
uisses, nec tam ardentem gratias egisses Chri-  
sto Domino & Redemptori tuo. Quocir-  
ca uiuente Christo uiues & tu, eritque tibi  
mors hæc somnus quidam foelix & saluta-  
ris, aditusq; & ianua in ueram & beatissi-  
mam illam uitam.

Secundo, tentabatur Christus etiam pec-  
cato, ut homo scelerosus & grauissimi cri-  
minis reus, cum exprobraretur illi: Si filius  
Dei es, descende de cruce. Seruasti alios, quin  
seruas & te? Hæ contumeliosæ uoces quid  
aliud sibi uolunt, q̄ q̄ iudicant illum frau-  
de, dolis, uafricie, technis, & artibus malis  
imposuisse hominibus, nihilq; minus esse q̄  
Dei filium, imo hominem scelestissimum,  
improbissimum & teterrimum. Assimiliter  
hominem iam de uita periclitantem tentans  
Satan, quicquid unq̄ contra Deū admissum

d

## MEDICINA ANIMÆ

est ab illo, offert, totaꝫ peccatorum plaustra illius animo suggerit, eaꝫ in immensum exaggerata, ut atrocitate & magnitudine peccatorum de misericordia Dei & uenia hæst tantem, ad desperationem adigat. Et hic pede fixo fortiter resistens, hostem impetentē te his uerbis excipies: Fateor me maximū & grauissimum peccatorem esse. Verum Christ⁹ nullius peccati reus, agn⁹ ille insons, in cuius ore dolus inuentus non est, propter peccata mea diram mortem passus est, ab illo omnia expiata sunt, quantacūꝫ & quocūꝫ sint, pro omnibus abunde satisfactū est. Mors Christi etiam meorum peccatorum propiciatio est. Christus uere languores meos tulit, Christus uere dolores meos ipse portauit, Vulneratus est propter iniquitates meas, attritus est propter scelera mea, Liuore eius sanatus sum. Omnia mea peccata in se transtulit, Nulla nunc ego agnosco, Christo gratias ago, qui omnia suo corpore dependit.

Tertio, tentatus est & inferno seu damnatione æterna, cum obijcerent illi: Sperauit in Domino, eripiat eum, saluum faciat eum, quoniam uult eum, quasi dicerent, Omnis illum spes in Deum frustrabitur, Deus illū auersatur atꝫ abominatur, & ad inferos detrusum in perpetuum damnabit. Cum & te  
istius

D. VRBAN. RHEG.

Istiusmodi tentationibus, Tentator ille, la-  
cessit, caue pedem loco moueas. Non est q̄  
contremiscas, nihil extimescas: nihil moue-  
ant te q̄uis grauia quæ offert. Excute ani-  
mo & procul relega a te tam peccatū q̄ mor-  
tem & infernum. Nihil in te iuris habent, si  
in Christum oculos conieceris, Hunc ap-  
prehende, huic te totum commenda. Chri-  
stus tuus est, totum se tibi Christus impen-  
dit. Hic a tyrannide Diaboli ac æterna dam-  
natione inæstimabili precio te redemit. Chri-  
stus hic est innocentia tua, & uita tua & iusti-  
cia tua. Caue modo ne cor tuum a Christo  
crucifixo tentationibus ullis auocetur. Si  
huic Christo adhæseris, tanq̄ in excelsam &  
firmissimam atq̄ insuperabilem petram  
collocatus, tutus es aduersus omnes in-  
ferorum portas, ut cum Christo exclamare  
possis, Psal. 16. Prouidebam Dominum  
in conspectu meo semper, quoniam a dex-  
tris est mihi, ne commouear. Propter hoc  
lætatum est cor meum & exultauit lingua  
mea, insuper & caro mea requiescet in spe.  
Notas mihi fecisti uias uitæ, adimplebis me  
læticia cum uultu tuo, delectationes ad dex-  
tram tuam usq̄ in finem. Per talem fidem  
in Christum filius Dei, frater & cohæres  
Christi, uitæque æternæ consors es. Hęc fi-  
des iustificat iustos, hoc est, in Christum cre-

## MEDICINA ANIMÆ

dentes. Propter hanc fidem benedictus filius  
coelestis patris es, & emigrans hinc, pro-  
ficisceris in regnum coelorum, electis filijs  
ab exordio mundi præparatum.

Quod si uero in tentationibus nutat &  
uacillat fides tua, cumq; uoluntatē Dei pa-  
tris non satis patienter moderateq; fers, cum  
dilectio tua erga Deum subfrigida, cum  
spes infirma & tenuis est, metuisq; ob id, ne  
satis bene conueniat tibi cum Deo, nete eū  
habeas infensum: quæ sane grauissima &  
laboriosissima difficilimaq; est tentatio.  
Hic tu, mi frater, apud te cogitabis tibiq;  
persuadebis, q; Christus propter te intolera-  
bilem & inuincibilem tentationem sustinue-  
rit, in qua apparebat nullum usq; auxilium,  
solatium, subsidium aut patrocinium, in  
qua uisi sunt, Deus totusq; mundus atrocis-  
simi & infensissimi hostes esse, cum exclame-  
ret, Deus meus Deus meus quare me dere-  
liquisti. O horribilem & durissimam tenta-  
tionem hanc. Bone Deus, q̄ fuit acerba, q̄  
grauis, q̄ dura, q̄ amara mors illa, quam  
pro nobis subiuit, ut uiam crucis nobis faci-  
lem redderet. Cum itaq; Christus ultro his  
tam horribilibus intolerabilibusq; anxietatibus  
& calamitatibus sese subiecerit im-  
merferitq;, uolente hoc coelesti patre nostri  
amantissimo, haud dubie scit & agnosce  
nostram

D. VRBAN. RHEG.

nostram etiam infirmitatem, haud dubie  
nostri misertus stricto iure nobiscum non  
aget, & multa imbecillitati nostrae condona  
bit. An non ipse adeo, omnes ad se inuitas,  
Venite, inquit, omnes ad me qui laboratis  
& onerati estis, & ego reficiam uos. Quae  
quaeso uberior consolatio, quae maior ulla  
dari posset? Multa quidem & ualde gra  
uia hominem molestant, & angunt. Quid  
quaeso grauius terrere, quid crudelius dis  
crutiare & torquere conscientiam hominis  
peccatis obruti potest? quae cum dubitat de  
Dei misericordia, cum metuit ne auersetur  
ipsum Deus & a se reijciat, cum fidem seu fi  
duciam hanc misericordiae concipere non  
potest et se, ut membrum aridum, amputa  
tum & reiectum iri imaginatur. Hic ad sis Ie  
su Christe praesenti auxilio & subsidio tuo,  
hic refocillatione opus est, ne atra haec & uio  
lenta horridaque fluctuum tempestas miserum  
hominem obrutum demergat. Sed non est  
quod ambigamus. Non est uanus Christus,  
promissa apparere faciet, iuuabit & refocil  
labit nos. Vbi itaque non satis firma est fi  
des tua, ubi formidine & pauoribus concu  
ritur pectus tuum, ubi te de misericordia Dei  
addubitare, et pertenui fide praeditum esse  
sentis, confestim Deum inuoca, apud illum  
misericordiam & incredulitatem tuam deplo

## MEDICINA ANIMÆ

ra, illius opem ardentibus uotis expete, & reficiet iuuabitq; te, hincq; illum glorificatum prædicabis. Recepit se hoc facturum, & faciet, tu modo caue ne inuocare cesses: in desinenter suspirijs ex imo pectore ductis patrem illum omnis consolationis implora ne auertat a te faciem suam. Tuam illi imbecillitatem, adeoq; omnia quæ te angunt, & cruciant in illius sinum effunde: exclama cū discipulis (Luc. 17.) Domine adauge mihi fidem. Item, cum patre Lunatici, Mar. 9. Credo Domine, succurre incredulitati meæ Domine ad adiuuandum me festina, anteq; mole hac depressus submergar. Misericordia tua super omnia opera tua. O clementissime, o benignissime pater, Domine Deus salutis meæ, susceptor meus & refugium meum, ne intres in iudicium cum seruo tuo: Christus iusticia mea est, & redemptio & innocentia mea, qui propter me acerbissimam & crudelissimam mortem obire sustinuit. Moueant te hæc, o pater omnis misericordiæ: Propter hunc Christum filium tuum miserere mei, confirma & corrobora cor meum fide in Christum, Consolare me consolationibus Spiritus sancti, ut potiar gaudijs ueris in Christo in perpetuum, Amen. Ad hunc modum laborans, luctans, & pugnans cum imbecillitate tua, incredulitatem



D. VRBANI RHEG.

temq; & pusillanimitatem tuam accusans  
& deplorans apud Deum, si Christum ap-  
prehenderis, eiq; apprehenso tenaciter &  
incredulus adhæseris, uotis flagrantibus &  
indefessis auxilium expetueris, ut ipse in tu-  
um se locum substituens, ea quæ tibi desunt  
suppleat, si hæc feceris, tunc omnia se opti-  
me habent: Tunc bene & præclare tecum  
agitur, nihil est periculi: Salua res est: Si qui-  
dem hæc duo, credere in Christum, & uo-  
tis ardentibus fidem expetere, non multum  
inter se distant. Sis, licet, imbecillis & pusillo  
animo præditus, hoc te tamen soletur & eri-  
gat, q; Deus mandat & uult se inuocari, q;  
q; promisit se inuocatum exauditurum, &  
auxilio subleuaturum. Porro ut nihil iu-  
stius a Deo petitur q̄ uera fides, ita nullam  
orationem exaudit citius aut lubentius q̄  
eam, quam homo nihil in se boni inueniens,  
suam infirmitatem, suam tenuitatem & mi-  
seriam agnoscens, suam incredulitatem de-  
plorans & deuouens, effundit, anxijis & cre-  
berrimis suspirijs, ardentissimisq; uotis fidē  
expetens. Hæc uota, hæc suspiria, hæc  
orationes, hæc exigua & quantulacumq;  
fides, profecto scintilla est clara & pia, se-  
men Dei, quæ non nisi Deo operante &  
efficace in nobis, exoritur, qui per Prophe-  
tam Esaiam ait de Christo: Non extin-

## MEDICINA ANIMÆ

guet linum fumigās, & calamum quassatū  
non conteret. Quapropter fac constanter  
credas in Christum, uel uotis ardētibus ora  
ut possis credere, deplorans apud Deum in  
credulitatem tuam. Hęc si feceris, nihil dubi  
tabis te a Deo iustū reputari, te esse filiū Dei  
qui non temere nec frustra Christo filio suo  
unigenito nostram imbecillitatem, nosra  
peccata, imposuit. Apud Matth. cap. 5.  
ipse Christus ait; Beati pauperes spiritu,  
quoniam illorum est regnum cœlorum. Be  
ati qui lugent, quoniam consolabūtur. Be  
ati qui esuriunt & sitiunt iusticiam, quoniā  
saturabuntur. Hęc & tibi dicta sunt, frater  
charissime, hęc proprie in te competunt.  
Mœres & angeris ob uitam male actam, ex  
animo doles, sitis & esuris iusticiam, confi  
de, bono sis animo, quæ concupiscis, accipi  
es, iam quæ es iustus coram Deo per Christū.  
Hinc exemplo Christi & Stephani, Spiri  
tum tuum manibus Dei patris commenda  
bis, in hęc & similia uerba. Commendo,  
o pater clementissime, in manus tuas spiri  
tum meum, imo tuum spiritum, cum tu eū  
corpori inditum ad tempus mihi commen  
daris, cum tui imago sit, cum propter eun  
dem redimendum, unigenitus filius tuus  
sanguinem suum preciosissimum profunde  
rit, Hunc, in quæ, spiritum tuum iterum iterūque  
com

D. VRBANI RHEG:

commendo in manus tuas: O pater indulgentissime, o Deus omnis misericordiae, Tuus sum, quantus quantus sum: Tuum quaeso suscipias, serues & uita aeterna dones, per Iesum Christum filium tuum unigenitum, Dominum nostrum, Amen, Amen.

PARAENESIS AD OMNES  
CHRISTI NOMEN PRO-  
FESSOS.

Nunc uos, quotquot nomine Christianorum insigniti estis, obsecro & obtestor per misericordiam Dei, ut tandem aliquando relictis pristinis & horrendis istis tenebris & erroribus, ad meliorem uitae frugem redeatis, summo animi studio & religione uerbum Dei salutare susceptum audiatis, citraque intermissionem pulsantes, patrem in coelis per Christum rogetis, ut nos erudiat & uera Christi cognitione illuminet, ut abnegata impietate & mundanis concupiscentiis, sobrie & iuste & pie uiuamus, in praesenti seculo, expectantes beatam illam spem & apparitionem gloriae magni Dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.

Reluxit nobis, immenso Dei beneficio,

## MEDICINA ANIMÆ

uerbum illud gratiæ, lucis, & omnis consolationis. Habemus exempla illustria & plurima in diuinis literis, inexhaustam Dei erga nos bonitatem, longanimitatem, & clementiam testantia, unde uidere est, quod non uelit Deus ut perdamur, sed ut conuertamur & uiuamus, quod cito deseruescat illius etiam iustissima ira, quod facile poena, quam meruimus supersedeat, ubi serio poenitentiam agentes de emendanda uita cogitamus. His, o fratres, moti, ad Deum in omnibus afflictionibus confugiamus, ab hoc indefessis precibus contendamus, ut condonatis clementer peccatis omnibus, propter dilectum illum filium suum Iesum Christum, nos seruare, fouere, tegere, consolari, breuiter in omni necessitate presentis auxilio adesse dignetur.

Dauid coniectus in extremum periculum 2. Reg. 24. cum propter ipsius peccatum pestis sæuicia septuaginta hominum millia intra dies pauculos intercidissent, mox ubi confugisset ad Deum confessus peccatum, orans ueniam, misericordiam Dei implorans, extracto que altari in area Areuna Iebusæi, holocausta & pacifica obtulisset, Deus propiciatus est terræ, inquit scriptura, & cohibita est plaga ab Israel. Huius exemplo & uos, fratres charissimi, cōfitētes peccata

D. VRBAN. RHEG.

cata, implorate gratiam & misericordiam Dei, offerentes acceptum Deo cordis poenitentis & contriti sacrificium, aderitque uobis auxilio suo, nec unquam uos deseret.

Itidem & misso Iona minatur Deus se Niuen, populosissimam & clarissimam urbem, euersurum: sed mox ubi ad conuersionem Ione poenitentiam egissent Niniuitae, misericors eorum Deus, culpa condonata, supplicium remisit. Horum exemplum & uobis proponite fratres. Ne diffidatis Dei misericordia, nondum abbreviatum est Brachium Dei. Et uult & potest iuuare nos, modo gratiam oblatam non respicientes illius auxilium inuocauerimus. Nonne per Paulum palam testatur & proclamat, se diuitem esse in omnes inuocantes se. Rom, 10.

Hoc quicquid est scripti mei, dilecti in Domino fratres, quo imbecille membrum ego, uobis reliquis membris in Domino (quantum per temporis angustiam, & affecti corporis ualetudinem parum commodam licuit,) prodesse uolui, boni consularis etiam atque etiam rogo. Mallem praesens praesentes consolari si fieri posset. Verum cum id non liceat, oratione pro uobis pietatis & uoluntatis meae propensae officia sarcinam & pensabor. Precor Christum Iesum, medicum illum uerum & proba-

## MEDICINA ANIMÆ

tilissimum, pharmacopolam omnium afflu-  
entissimum, ut hanc animæ medicinam, e  
Pharmacopolio suo, hoc est, literarum sa-  
crarum penu diuite collectam ac confectā,  
in cordibus uestris, efficacem esse uelit, ut so-  
lida fides in uobis crescat, dilectio Dei &  
proximi flagret, ut in omni cruce patientes  
Christi exemplum sedulo imitantes, Chri-  
sto ad extremū usq; halitū adhereatis, in spe  
certa uitæ æternæ, per Christū Iesum  
donatæ, Amen Orate Deum &  
pro me misero pecca-  
tore.

# RATIO

CONSOLANDI PERICVLOSE  
decumbentes e libello germanico Cas-  
paris Huberini excerpta, &  
in Latinam linguam  
transfusa, per  
M. Iohan. Frederum.



ERTO statues, o Chri-  
stiane, qui aduersa tra-  
letudine conflictaris,  
tenon casu, sed consi-  
lio & permissione Dei  
affligi. Quicquid mor-  
bi, calamitatis seu crū-  
narum pijs incumbit,  
omne id Deo gubernāte, Dei consilio &  
uoluntate euenit. Siquidē in ipso uiuimus,  
mouemur & sumus. Acto. 17. Ipse fecit  
nos, & non ipsi nos. Psal. 99. Nec hæsita-  
bis quin optima & uere paterna uoluntate  
immittat hoc quicquid est morbi, non ut te  
perdat, sed ut ad poenitentiam uocet, & fi-  
dem tuam exerceat excitetq;. Sunt enim af-  
flōicties indubitata summę misericordię &  
bonę uoluntatis Dei signa. Quem diligit,  
corrigit, inquit Salomon: Flagellat omnem

## RATIO CONSOL.

filium quem recipit, Hebre. 12. Benignissimus ille pater tuus cœlestis tui amantissimus pro optimo suo consilio & propensissima in te uoluntate, ueterem hominem tuum hac aduersa tua ualitudine, quasi uinculis constrictum cohercet, frenat, mortificatq; ut lubentius & alacrius corpus tuum tanq̄ hostiam oblatum, cum Christo cruci affigas. Est itaq; hic tuus morbus, quo cōfictaris, paterna castigatio, non in hoc s̄missa, ut perdaris, sed ut emenderis, ut uiuificeris. Videt fortassis Deus pater ueterem Adamum tuum ferocem & infrenem, peruicacē, & contumacem impotentemq; sui luxuriar, & affectibus plus satis indulgētem, sibi temperare, sese inhibere non posse, ideoq; hoc illi ueluti capistrum inicit, his illum compedibus, atq; catenis constringit, his carceribus, huic ergastulo includit, hac catasta uincit, ut illum frenet, ut retundat & coherceat, ne nobilissimam & preciosissimā animam tuam seductam, in periculum cōiciat. Caro & sanguis regnant uigentq; in te magis q̄ spiritus. Hic adest Deus spiritui tuo, eiq; aduersus ferocientem, effrenem & rebellantem carnem luctanti fert suppetias, ut uictam carnem supprimas subigatq;.

Quod si prospera & integra corporis ualitudine utereris nūc, fortassis Caro (ut est

non



## PERICVL. DECVM.

non nisi ad mala semper procliuis) seductū  
te in multa & graua contra Deum peccata,  
quibus irritata Dei ira, animæ tuæ ad male  
dictionem & inferos strueretur uia, coniecif  
set. Huic incōmodo atq; periculo præueni  
ens pater ille tuus coelestis, tibi tuæq; saluti  
cōsulens, carnem tuam, manibus p̄ pedibusq;  
& omnibus uiribus, contra Spiritum feroci  
entem eiq; rebellantem, tanq̄ frenis iniectis  
compescit & captiuam ductam cohercet, ne  
in peccatorum sentinam prouoluatur, sed  
spiritui subigatur obediatq;. Hæc cum pa  
tris tui amantissimi uoluntas sit, cumq; om  
nia in tuum commodum & salutem cedant,  
etiam atq; etiam uide, o frater, ne uoluntati  
Dei optimæ relucteris, sed patere & ora, ut  
patris uoluntas fiat, ut te tractet pro suo ar  
bitrio, utq; nihil uelis nisi quod ipsi uisū fue  
rit optimum, ut omnia cedant ad gloriam &  
laudem Dei, & adsit tibi gratia sua, ut crucē  
incumbentem patienter & moderate feras.  
Nam patientia parit probationem, proba  
tio spem, spes autem non confundit. Habes  
hic materiā exercendę & discendę patiētiæ,  
in omnibus afflictionib⁹. Primū discis q̄  
Deus paterno animo te affligat. Id autem  
discis experientia. Nisi enim re ipsa id ex  
perireris, quam salutare esset Deo sededere  
totum, illius uoluntati obsecundare,

## RATIO CONSOL:

ueluti David inquit, Bonum mihi q̄ humiliasti me) non posses spem de illo certam & firmam concipere, non experius ante sub hac cruce & uirga tam patrum animum & tui cupidissimum delitescere. Verum cū id ante experientia didiceris, eiusq̄ rei gustū aliquem iam habeas, nullis afflictionibus animo confternato succumbis, sed spes tua subinde crescit, cum semel atq̄ iterum sis expertus præsens Dei auxilium. Et si conuiuens patitur nonnunquā aliquandiu te in salebris hæsitare mergiq̄, tandem tamen aliquando auxiliares manus porrigens eripite & seruat. Patitur quidem natate te aliquandiu atq̄ etiā aquis obrui, sed submergi non patitur. Hinc certo statuere potes, q̄ te nunq̄ destituere nec reijcere uelit, cum toties te periclitatum seruarit. In afflictionibus itaq̄ discis spem bonam & indubitata de Deo concipere & fouere, ut etiam in afflictionibus longe grauioribus, ubi nullū usq̄ apparet auxilium, illi confidere possis, edoctus iam, illius in liberandis & seruandis suis consuetudinem: Didicisti non ira, sed amore paterno afflictiones immitti.

Quod cum persuasum habeas, experientia edoctus, expectas patienter auxiliū, nec despondes animum, sed constanter tādē aliquando laturum illum auxilium speras,  
ut

PERICVL. DECVM.

ut maxime id differēs in longū tempus se oc-  
cultet & abscondat. Atq; ita tandem agnos-  
cis intelligisq; morbum tuum seu afflictio-  
nem non in hoc tibi immissam, ut perdaris,  
sed ut gloria Dei illustretur, & ut omnia in  
salutem tuam cedant. Qui ad hunc modū  
Deo sese dedere & concredere potest, pro-  
missionibus ipsius fides, is non moritur in  
æternum. Id quod Christus ipse etiam iura-  
mento, ne quid addubitaremus, affirmans,  
Amen amen, inquit, Si quis seruauerit uer-  
bum meum non uidebit mortem in æternū.  
Et alio loco ait: Ego sum uia, ueritas & uita.  
Qui credit in me, uiuet, etiamsi mortuus fue-  
rit, Et qui uiuit & credit in me non morietur  
in æternum. Hæc Christi uerba, o frater, in  
animum altissime demissa fac diligēter asser-  
ues, hisq; animum uacillantem erigas & su-  
stentes. Qui credit Christo mortem non gu-  
stabit. Qui credit in me, habet uitam æter-  
nam, inquit Christus. Hæc autem est uita  
æterna, ut te cognoscant Deum uerum &  
quem tu misisti Iesum Christum. Vita eter-  
na inchoatur in mundo hoc. Nā qui Chri-  
stum habet ueram uitam habet. Nam Chri-  
stus uita est. Ioan. 15. Est & ueritas, ideo que  
non ludificabitur nos, sed promissiones  
Dei per ipsum sunt etiā & per ipsum Amē.  
Ac quo nihil addubitares, quin dictis ac

## RATIO CONSOL.

promissis suis mansurus esset Deus, peculiari  
ri quodam foedere ac signo corpori tuo ad-  
dito se tibi obstrinxit deuinxitq;. Nam cu-  
pidus & amans salutis tuæ cum misisset fi-  
lium suum in mundum, ut pro te morti se  
offerret, foedus gratiæ per Christum ante fe-  
runt fecitq;, in quo promisit, se tibi, si credide-  
ris & baptizatus fueris, uitam æternam da-  
turum gratis, ac te nunq; deserturum, se pa-  
trem tuum futurum, te gratia & misericor-  
dia coronaturum. Est autem signum foede-  
ris huius Baptismus tuus, Huic signo addi-  
tis promissionib; ut adhærescas mordicus  
necesse est. Dedit autē signū hoc, ut de gra-  
tia promissa & fide ipsius nihil hæsitares.  
Baptizat; es in mortē Christi, ueluti Paulus  
ait, ut mors eius, tua mors fieret, ac pro te  
oīa expiaret, eūq; in Baptismo induisti, ut  
totus esses in illo & ille in te. Est itaq; Baptis-  
mus foed; erigēs & exhilarās trāquillāsque  
cōsciētīā tuā corā Deo, teste Petro, q; te nūq;  
damnaturus sit propter peccata tua. Nam  
fide iustificatus pacem habes apud Deum.  
Tranquilla & serena pacataq; conscientia  
uera pax est. Accepisti autem huius iustifica-  
tionis & remissionis peccatorum signum  
certissimum seu sigillum quoddam Baptis-  
mū, ut certo crederes Deum propter Chri-  
stum misertum tui seruaturum & liberatu-  
rum te.

## PERI CVL. DECVM.

Iam itaq; cum Deus tibi faueat, uelitq; pater tuus esse, teq; nunq̄ deserere, cumq; eius rei infallibile signum ac testimonium habeas, omnem rem & te totum illi commendes, dedas, eiusq; uoluntati pareas, illiusq; manum siue mori te uoluerit siue uiuere, patienter feras oportet, modo ut illius uoluntas longe optima fiat ad gloriam & laudem ipsius. Quanquam impossibile est, si misericordiam promissa propter Christum filius fueris, teq; totum illi consecraueris, ut damnari possis. Quippe promisit se futurum patrem tuum, Et quia uerax est, cum agnoscas illum patrem & optima quæq; ab illo expectes speresq;, non potest non pater esse teq; seruare, quoquo modo duriter ad tempus aliquandiu te tractet. Cum itaq; promiserit se futurum patrem tuum, tuq; promissionibus his fidas, citra dubium tui tuorumque perpetuam curam aget. Quapropter commenda bis illi non modo tuum corpus, sed & uxorem ac liberos, cognatos & amicos, breuiter omnia tua, nec dubita quin ipse sit uerus pater, uerus coniunx, uerus cognatus & amicus futurus. Nam te hactenus tanq̄ œconomus seu dispensatore duntaxat in his usus est. Iam uero cum te muneris huius functionem deponere uelit, alium illis dispensa

## RATIO CONSOL:

tozem qui & fide bona & diligenter illorū curam agat, in locum tuum substituet. Si hoc ab illo speraueris & plena cordis fiducia expectaueris, non dubium est, quin sit facturus quod dixi. Quocirca excute animo tuo omnem de tuis sollicitudinem, eamq; Deo commenda. De te potius sollicitus cogita, quomodo animæ tuæ consulas, eāq; Deo transmittas.

Ac cum gratis propter Christum condonarit tibi peccata omnia Deus, nihil quicq; a te pro hoc immenso & inæstimabili beneficio exigit, q̄ ut uicissim condones ex animo ijs qui te iniuria affecerunt. Et promittit se remissurum nobis errata nostra, si remiserimus nos hominibus errata sua. Proinde omnibus offensis condonatis ex animo, ita ut nunq; earum memoriam apud te renouaturus sis, etiam ora pro illis qui te læserūt iuxta doctrinam & exemplum Christi, eos que iuuua pro uirili, indigentes tua opera, si reualueris.

Quod si hūc animū similtate, liuore, maleuolentia & ira uacuū habes, habes & signū q; Deus tua tibi peccata remiserit. Fides em, qua cor tuum purificatum est, exerens sese suosq; fructus ferens, pro Dei infinitis beneficijs, non potest non uicissim ignoscere & benefacere proximo suo. Hic fructus cha-  
rita-

## PERICVL. DECVM.

ritatis testatur, & certum te facit, q̄ fides tua uera sit & uiua, cum fructus tulerit ueros & bonos. Hoc Petrus uult, ubi iubet ut firmā faciamus uocationem nostram bonis operibus. Significat enim ea opera testimonia & signa esse q̄ a Deo sis electus & adoptatus in filium ad æternæ salutis gaudia.

Nec est q̄ putes, o frater, q̄ Deus propter morbum tui & crucis grauitatem peccata tibi condonaturus sit. Nulla alia est satisfactio, nulla alia compensatio pro peccatis tuis q̄ unica mors Christi. Nihil aliud in hac quidem causa respicit Deus, nihil aliud acceptat hic, q̄ filium suum dilectum. Hic agnus Dei est qui tollit peccata mundi. Hic sacrificium est & oblatio sufficiens, absoluta, perfecta q̄ pro totius mundi peccatis. Tuus autem morbus doloresq̄ ne leuissimum quidem peccatum tuum coram Deo expiare possent, nedum salutem promereri, sicuti Paulus testatur Rom. 8. Non reputo inquam, pares esse afflictiones præsentis temporis ad gloriam quæ reuelabitur erga nos.

Nulla creatura neq̄ in coelis neq̄ in terris, nullus Angelus iram patris sedare & mitigare potuit, multo minus morbus hic tuus, & afflictio momentanea sedabit. Porro autem qui eam iram lenire & Deum homini reconciliare debebat, hic ut & Deus & ho

## RATIO CONSOL

mo esset (ut pote intercessurus & acturus in-  
 ter Deum iratum & hominem condemna-  
 tum) necesse erat. Ideoq; Dei filium oportebat  
 hominem fieri, ut iram Dei patris suo  
 corpore dependeret, & ab ea nos seruaret,  
 teste Propheta dicente: Languores nostros  
 ipse tulit dolores nostros ipse portauit. Posu-  
 it Deus in eo Iniquitatem omnium nostro-  
 rum: propter scelus populi mei percussi eū.  
 Et Petrus, Vibice eius sanati sumus. Pro-  
 pter hunc itaq; Christum Dominum tuum  
 peccata tua tibi condonata sunt, nec ob ali-  
 ud quicq; in tota rerum uniuersitate, ob nul-  
 la tua opera, ob nullam afflictionem, quan-  
 tumuis duram & acerbam. Christus unica  
 est iusticia, salus, redemptio & satisfactio no-  
 stra. Hunc Deus pro nobis peccatum fecit,  
 qui peccatum non nouerat, ut nobis con-  
 tingeret iusticia. Quapropter, si credis iam  
 filius Dei es. Ioan. i. Si filius Dei es, es & hæ-  
 res Dei & cohæres Christi. Quod si uita æ-  
 terna hæreditas est & donum Dei, uti eam  
 Paulus uocat, certe non promereberis eam  
 doloribus morbi tui. Cæterum morbo  
 hoc te conflictari ideo uult Deus, ut eo ue-  
 terem hominem tuum compescas, frāgas,  
 coerceas & mortifices, ut aliquando de-  
 sinat peccare: Id autem fit ad extremum  
 per mortē corporalē. Atq; ob hāc causam

m e r s



## PERICVL. DECVM.

mors hæc nobis subeunda est, ut anima emigrare ad æternam salutem possit. Est enim mors hæc ianua ad uitam æternam. Ibi demum liberamur ab omnibus calamitatibus, miseris, ærumnis, ab erroribus, & imposturis Diaboli omnibus, nec amplius foedissima peccatorum labe inquinabimur, nec in hereses aut errores seducemur, nec in desperationem præcipitabimur. Omnium tum malorum & aduersitatum incommodorumque finis adest. Tum conquiescentes in Domino potiemur uita & gaudijs æternis.

Ergo neuiquam abominanda & formidanda mors est, imo uotis flagrantibus expectanda, cum per eam ad æterna gaudia proficiscamur. Estque uerissimum quod Paulus dicit, Omnia pñs coadiumento esse in bonum, Siquidem mors, res coram mundo omnium odiosissima, teterrima & maxime horribilis, credentibus fit dulcissima, gratissima, & iucundissima. Tametsi uetus Adam ille noster ad eam inhorrescit, eam fugit & horret, Internus tamen homo promptus ultroneusque est ad eam obeundam, cum per eam ab omni peccatorum, flagiciorum uiciorum & ærumnarum cœno ac sordibus liberari se, & ad æterna gaudia proficisci uideat sciatque.

RATIO CONSOL.  
QUOMODO CONSOLANDI  
II QVIBVS MORTIS  
PERICVLVM

*imminet.*

Deus optimus & tui amantissimus pater, tui misertus, o frater, ex calamitosissima miserrimaque uita hactenote uocat translaturus ad se in perpetua uite celestis gaudia. Proinde dede & commenda illi totum te tuaque omnia, & quod ille uult uelis & tu, dicasque, Fiat uoluntas tua Deus pater, non mea. Clama cum latrone cruci affixo ad Christum: Memento mei Domine cum ueneris in regnum tuum. Clama cum publicano: Domine propicius esto misero mihi peccatori. Clama instanter cum muliercula illa gentili Cananæa: O fili Dauid miserere mei. Audi ette Christus clamantem, ne dubita, tui miserabitur, peccata tibi condonabit, cum illo eris in paradiso. Hunc igitur Christum apprehendas, huic mordicus adhæreas, huic animam tuam fac concedas. Cum hoc Christo crucifixo, ad Deum communem patrem clama: Domine in te confido, non confundar in æternum. In iusticia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me. Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, ut saluum me facias. Fortitudo mea & refugium estu. Tu es protector

## PERICVL. DECVM:

rector meus. In manus tuas commendo spiritum meum. Clama & cum Dauide : Domine firmamentum meum & fortitudo mea, refugium meum & liberator meus. Deus meus adiutor meus, protector meus & cornu salutis meae & susceptor meus. Ad te Domine leuavi animam meam. Deus meus in te confido, non erubescam. Dirige me in ueritate tua, Tu es Deus saluator meus. Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum quae a seculo sunt. Delicta iuuentutis meae ne memineris. Secundum misericordiam tuam memento mei propter bonitatem tuam Domine. Propter nomen tuum Domine propiciare peccato meo, multum est enim. Respice in me & miserere mei. De necessitatibus meis erue me. Dimitte uniuersa delicta mea, custodi animam meam & erue me. Non erubescam, quoniam spero in te.

Si ad hunc modum toto corde auxilium Dei inuocaueris, auxilium feret tibi Deus opportuno tempore, dicitque id, quod Psal. 91. est : Quoniam sperauit in me liberabo eum, protegam eum quoniam cognouit nomen meum, Clamauit ad me & ego exaudiam eum. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Quocirca o Christiane certa hic bonum certamen, dimi

## RATIO CONSOL.

ca fortiter & constanter, ut Christianum  
uerum decet. Caue loco cedas, caueter  
gum uertas, Nihil est periculi. Non dimicas  
hic solus, sed Iesus Christus rex in hoc ago-  
ne dux tuus est. Hunc te in hoc certamine  
præcedentem sequere. Hic dux tuus, uin-  
dex erit tuus & ab omnibus hostibus animæ  
tuæ, ab omni periculo, ab omni calamitate  
in hac pugna tuebitur atq; defendet te. Rex  
est non quiuis sed immensæ & infinitæ po-  
tentia. Mortem, Satanam, Infernum, tua  
caussa iam uicit & prostrauit: Absorpta est  
mors in uictoriam. Christus pro te mortu-  
us est. Ideo q; mors æterna iuris nihil in te ha-  
bet. Christus pro te descendit ad inferos, ut  
te ab æternis istis tenebris liberaret. Proinde  
forti & magno sis animo, pectore infracto  
irrumpe in aciem. Excute omnem pauorē,  
Nihil est hic periculi. Non est q; metuas seue-  
rum & strictum Dei iudicium. Christus Ie-  
sus mediator est coram Deo, idem aduoca-  
tus & patronus tuus est & pontifex & Sa-  
cerdos. Hic te Deo reconciliauit, & paternū  
illius animum propter peccata tua ab aliena-  
tum tibi restituit. Deus propter Christum  
pater nunc tuus est, tui curam agit, te unice  
amat ut filium tenerrimum. Iam cum hic tan-  
tus Rex a partibus tuis stet, quis negocium  
tibi facessere, quis impetere, quis oppugna-  
rete

## PERICVL. DECVM.

Te te sustinebit? quis quæso iniuriam tibi inferet? Quid periculi esse potest? Audi Paulum: Si Deus (inquit) pro nobis, quis cōtra nos? Qui proprio filio nō pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: qui fieri potest, ut non & cum eodem omnia nobis donet? Quis intentabit crimina aduersus electos Dei? Deus est qui iustificat: Quis ille qui condemnet? Christus est qui mortuus est, imo qui & suscitatus est, qui & est ad dexterā Dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos separabit a dilectione Dei? Persuasum habeo q̄ neq̄ mors neq̄ uita, neq̄ altitudo neq̄ profunditas neq̄ ulla creatura alia poterit nos separare a dilectione Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Itaq̄ cum Christus cum bonis suis tibi sit donatus, sunt & iusticia, innocentia, salus & uita æterna donata tibi, teste Paulo, 1. Corin. 1. Christus factus est nobis sapientia a Deo iusticia q̄ & sanctificatio & redemptio. In hunc igitur Christum, in hunc angularem lapidem fac spem & fiduciam tuam omnem locatam & fixam habeas. Hic lapis fundamentum ualidum, solidum & firmum est, cui tuto te concredere & inniti potes, nulla quantumuis atra & horrida tempesta, nulli nimbi, nullæ procellæ, fundamentum hoc euertere & disturbare possunt. In

## RATIO CONSOL.

hoc, inq̄, Christo spes opesq̄ tuæ omnes fir-  
tæ sint. In hunc te conijcito, ei te totum dedi-  
to, huic fide mordicus adhæreto, nulla te  
ab eo calamitas aut tentatio auellat, ut maxi-  
me omnia absurde & præpostere fieri uide-  
antur, ut maxime caro & sanguis longe se-  
cus dictauerint & ratio contrarium senserit,  
ut maxime Diabolus animo tuo subinde in-  
susurret actum esse tecū & Deum tibi infen-  
sissimum esse, teq̄ gehennæ supplicium cō-  
meritum damnandū esse. Quippe (Heb. 11.)  
fides est hypostasis hoc est expectatio rerū  
sperandarum, id est, promissarum, & ἔλεγχος  
id est argumentum & noticia non apparen-  
tium. Cum sancto illo patriarcha Abraha-  
mo sub spe præter spem credas oportet. Fi-  
des & spes tua omnibus istis quæ uel Ratio  
cæca suggerit uel hostis ille πολυτέχνωτατος  
insidias & exitium nobis moliens instillat  
atq̄ ingerit, sese opponat resistatq̄ oportet.  
Quare perdiscendum tibi probe est, quam  
Deus in seruandis suis consuetudinem ser-  
uet. Quem euehere uult in coelos, eum ante  
deducit ad inferos: quem uiuificaturus est,  
eum ante mortificat: in quem insignem mi-  
sericordiam exercere uult, eum ante tentatū  
simulat se damnaturum. Atq̄ hic est uere ig-  
nis ille purgatorius, in quem suos coniectos  
Deus probat ut aurum igne. Quapropter  
cum

## PERICVL. DECVM.

cum nihil aliud sentis q̄ mortem præsentis-  
simam, cum Deus uideatur infensissimus esse  
tibi, cum q̄ longissime a te discessisse, te in  
totum deseruisse, te repudiatum & damna-  
tum reiecisse uideatur, tum q̄ proxime tibi  
adeft defensusurus & liberaturus te, tū te maxi-  
me amat, tum maxime illi curæ es. Incum-  
bente enim afflictione & tribulatione recor-  
datur misericordiæ, iuxta Prophetam. Si-  
quidem ira eius durat uix momentum ocu-  
li: Non in perpetuum irascitur: Quomodo  
miseretur pater filiorū, sic misertus est Do-  
minus timentibus se, quoniam ipse cogno-  
uit figmentum nostrum, recordatus est quo-  
niam puluis sumus. Misericordia autem  
Domini ab æterno & usq; in æternum. Mise-  
rator & misericors Dominus longanimis  
& multum misericors, Psal. 102. Quocirca  
clausis oculis, sensuum & rationis iudicio re-  
iecto, totum te Christo subiice, subde, dede  
& commenda, boni consule quocunq; te  
modo tractauerit, Mortem & horrorem do-  
loresue mortis non iuxta oculorum & sen-  
sus seu rationis iudicium æstimabis, sed iux-  
ta uerbum Dei. Dauid ait: preciosa mors  
Sanctorum in conspectu Domini, Item Be-  
ati mortui qui in Domino moriuntur. Item  
Christus: Qui credit in me mortem non gu-  
stabit. Quamobrem si qua offeruntur quæ

## RATIO CONSOL.

te a Christo auertere & in desperationem conijcere conantur, omnia animo excute, uerbo Dei uiuo tenacissime adhæreto, hoc meditare & subinde iteratum animo tuo inculca. Neq; enim unq̄ tuæ rationis perspicacitate atq; acumine assequeris, qui fiat q̄ per mortem ad ueram uitam transeas, quomodo exhalans animam hinc emigres, quomodo anima tua in Domino seruetur & requiescat ad nouissimum usq; diē, quomodo etiam putrefactum, cōsumptum & ad esum a uermibus corpus, in extremo iudicio resuscitatum noua & eleganti forma prodire possit. Hoc Ratio comprehendere non potest, Sola fides potest. Subinde itaq; Symbolum fidei meditare, & singulas particulas diligenter excute & attentius expēde.

QVIBVS VERBIS COMPEL-  
LANDVS SIT IAM  
AGENS ANIMAM.

O Frater in Christo, Nunc fac bonum certamen certes, fac constanter & fortiter locum tuum tuearis. Christi redemptoris tui promissiones infige penitus pectori tuo. Ego sum resurrectio & uita, inquit Christus. Qui credit in me, uiuet, nec morietur in æternum. Christus assumpta natura humana iniurijs nostræ conditionis obnoxia, moriens



## PERICVL. DECVM.

ens in crucis ara seipsum hostiam immola-  
uit pro peccatis nostris. Hic suo sacro fan-  
cto sanguine expurgauit delicta totius gene-  
ris humani. Hic Christus non te destituet.  
Hic curam tui agit. Christo seruāte & prote-  
gente te, nulla iniuria aut calamitate affici  
potes. Solidum fundamentum Dei stat, ha-  
bens signaculum hoc, Nouit Dominus q̄  
sint sui. 2. Timo. 2. Christus ait: Oues meæ  
uocem meam audiūt, & ego cognosco eas,  
& sequuntur me, & ego uitam æternam do  
eis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet eas  
quisq; de manu mea. Pater meus qui dedit  
mihi maior omnibus est, & nemo potest ra-  
pere de manu patris mei. Ego & pater unū  
sumus. Quamobrem, o frater in Christo,  
commendās animam tuam Deo patri te  
unice amanti, exclama cum Christo fratre  
tuo in cruce pendente. O pater in manus tu-  
as commendo Spiritum meum. Deus pater  
omnis misericordiæ deducat te in uitam æ-  
ternam, seruetq; te ad lætissimam ex-  
tremi illius iudicij resur-  
rectionem. Amen;





1  
1  
0  
7

~~Ms~~ 4180

ULB Halle 3  
003 502 937



TA 70L

Von



Saal

Nur

2







5. 200

MEDICINA ANI  
MAE, NON TANTVM  
*ijs qui aduersa corporis ualitudine  
conflictantur, sed ijs etiam qui corpo-  
re bene habent, extremis his pe-  
riculosissimis temporibus  
maxime neces-  
saria.*

AVTORE VRBANO  
Rhegio.

Anno M. D. XLV.

764591

B 3

